MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81296-16

AUTHOR:

ROGEL, FRIEDRICH

TITLE:

DE USU CONIUNCTIONUM...

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

1907

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rogel, Friedrich, 1883-
De usu coniunctionum temporalium qualis apud Pausaniam periegetam fuerit, dissertatio ... quam ... scripsit Friedericus Rogel ... Vratislaviae, Nischkowsky, 1907.
76 p. 22 cm.

Thesis, Breslau, 1907.

Volume of pamphlets

23969

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4.19.93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

mm

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

De usu coniunctionum temporalium qualis apud Pausaniam periegetam fuerit.

Dissertatio inauguralis philologica

quam amplissimi philosophorum ordinis

consensu et auctoritate

ad summos in philosophia honores

in Universitate litterarum Viadrina Vratislaviensi

rite capessendos scripsit

Friedericus Rogel

Silesius.

Die XXV mensis Iulii a. MCMVII hora XI et dimidia

disseret in Aula Leopoldina

„De Megasthenis Indicis“.

Deinde erit promotio.

Vratislaviae

R. Nischkowsky

MCMVII.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit
Ricardus Foerster.

Examen rigorosum habitum est die VIII mensis Maii anni MCMVII.

Ricardo Foerster
sacrum.

De usu coniunctionum temporalium qualis apud Pausaniam periegetam fuerit.

Priusquam accurate describere possimus, qualis linguae Graecae per saecula usus fuerit, scrutari oportet, quam quisque auctor dicendi rationem vel in singulis rebus observaverit. Itaque res utilissima ab eis quoque hominibus doctis praestita est, qui de coniunctionum temporalium usu qualis apud singulos scriptores fuerit egerunt, velut de usu Euripideo Henricus Tietzel[1]), de Herodoteo Havenus D. Brackett[2]), de Thucydideo Winifreda Warren[3]), de Aristotelico Rudolfus Eucken.[4]) Neque solum auctores classici pervestigandi sunt, sed etiam operae pretium est inquirere, quomodo posteriorum temporum scriptores has coniunctiones adhibuerint atque utrum ei qui rationem suam dicendi ad antiquorum sermonem finxerunt, in hac quoque re antiquos secuti sint necne. Eo consilio iam complurium scriptorum usus exploratus est, ut Theophrasti a Guilelmo Müller[5]), Flavii Iosephi a Carolo

¹) De coniunctionum temporalium usu Euripideo, Bonnae 1885.

²) Temporal Clauses in Herodotus, Proceedings of the American Academy of Arts and Sciences. Vol. XLI. No. 8 (1905).

³) A Study of Conjunctional Temporal Clauses in Thucydides, A Dissertation presented to the Faculty of Bryn Mawr College, Berlin 1897.

⁴) De Aristotelis dicendi ratione, Pars I, Diss. Gotting. 1866, pp. 5—8 et 65—69.

Eos viros doctos qui coniunctiones temporales singulas vel nonnullas tractaverunt in singulis particulis tractandis laudabo.

⁵) De Theophrasti dicendi ratione, Pars I, Diss. Gotting. 1874. pp. 59—63.

Raab[1]), Aeliani a Paulo Thouvenin[2]), atque ego Pausaniae Periegetae rationem coniunctiones temporales adhibendi explicare mihi proposui.

Materia autem ita divisa est, ut primum de πρίν (ἤ) et πρότερον-ἤ particulis agam, quibus ὕστερον-ἤ formulam ob structurae similitudinem addam. Deinde tractabuntur eae coniunctiones in quibus inest significatio „postquam, cum, ex quo“. Postremo de eis coniunctionibus disseretur quae significant „donec, dum“. His accedent enuntiata temporalia, quae per aliquod pronomen relativum introducuntur.

In prioribus novem Pausaniae libris usus sum inprimis editione ab Hitzigio et Bluemnero curata, in decimo editionibus Siebelisii, Schubarti Walziique, Spironis.

1) De Flavii Iosephi elocutione quaestiones crit. et observationes gramm., Diss. Erlang. 1890, pp. 40—48.

2) Untersuchungen über den Modusgebrauch bei Aelian [in linguam Germanicam vertit P. Bracherus], Philol. vol. 54 [N. F. 8] 1895, pp. 602—611

Pars I.

De particulis πρίν (ἤ), πρότερον-ἤ, ὕστερον-ἤ.

A. πρίν, πρὶν ἤ.

Πρίν (ἤ) coniunctio digna est quae primo loco tractetur, utpote cuius usus maxime varius sit; quam ob rem qualis apud alios scriptores ille sit, iam a multis viris doctis[1])

1) Quorum libros, ad quos identidem recurri, hoc loco enumero:

R. Foerster, De usu coniunctionis πρίν Homerico et Hesiodeo, Miscell. societ. Lat. Vrat. libellus, 1863, pp. 9—19.

Idem, De usu particulae πρίν qualis apud Ionicos scriptores fuerit, Miscell. sem. phil. Vrat. libellus, 1865, pp. 1—7.

R. Richter, De particulis πρίν et πάρος earumque usu Homerico, Lips. 1874.

O. Prause, De particulae πρίν usu tragico et Aristophaneo, Diss. Hal. Sax. 1876.

C. Lueth, De usu particulae πρίν qualis apud oratores Atticos fuerit, Diss. Rost. 1877.

H. Wagner, De usu particulae πρίν Thucydideo et Xenophonteo, Diss. Rost., Suerini 1879.

H. Heinze, Plutarch. Untersuchungen, I, Berlin 1873, p. 45 sq.

B. L. Gildersleeve, On πρίν in the Attic Orators, Amer. Journal of Philology, vol. II, Baltimore 1881, pp. 465—483.

I. Sturm, Geschichtl. Entwicklung der Constructionen mit πρίν, Beitr. z. hist. Synt. d. griech. Sprache ed. Schanz, I, 3, Würzburg 1882.

De Aeliani et Philostrati secundi usu egit Guil. Schmid, Der Atticismus in seinen Hauptvertretern, Stuttgart 1887—93, vol. III, p. 83 sq., vol. IV, p. 85 sq.

I. A. Heikel, Über die Entstehung der Konstruktionen bei πρίν, Skand. Arch. 1891, p. 274 sqq.

A. Weiske, Zur Konstruktion von πρίν, Jhrb. f. kl. Phil. 1892, p. 238 sq.

I. Frenzel, Die Entwicklung der Sätze mit πρίν, Progr. Gymn. Wongrowitz 1896.

Praeterea cf. libellos supra (p 1 et 2) in medium prolatos.

investigatum est. Apud Pausaniam haec coniunctio 112 locis exstat.[1]) Illorum locorum ut in quarta parte (29ies) nuda invenitur, ita 83ies cum ἤ vocula coniuncta est. Quam ob rem de coniunctione πρίν cum vocula ἤ coniuncta nonnulla praemittenda sunt.

De coniunctione πρίν cum vocula ἤ coniuncta.

Coniunctioni πρίν voculam ἤ addere, quacum coniuncta significationem propriam suam — adverbii „prius“[2]) — maxime retinuit, dialecti Ionicae proprium erat.[3]) Poetae quidem neque epici neque Ionici eam in deliciis habuerunt; nam Homerus eam tantum bis in una locutione[4]), Hesiodus, auctores hymnorum, qui Homeri feruntur, poetae lyrici[5]) nusquam adhibuerunt. Sed invenitur πρὶν ἤ saepe apud Herodotum[6]), Hippocratem eiusque sectatores. Itaque coniunctionem πρὶν ἤ Ionum propriam fuisse certum est, etiamsi in titulis Ionicis adhuc inventa non est. In quibus ut enuntiata per coniunctiones inducta omnino rara sunt, ita particulam πρίν solam semel[7]) invenimus. At etiam apud Atticos vestigia coniunctionis πρὶν ἤ exstant. Apud poetas tragicos et comicos[8]) quidem similiter atque in poesi epica et Ionica exempla desunt; traduntur in

---

[1]) *Πρίν* particula apud Pausaniam semper coniunctionis, non praepositionis aut adverbii vim habet. Adverbium „prius“ Pausanias particula *πρότερον* exprimere solet. De loco III, 13, 7 cf. infra p. 21.

[2]) Reicienda est opinio et Georgii Curtii, Grundzüge d. griech. Etymologie, Lips. 1879, p. 283⁵, qui *πρίν* particulam e comparativo *προ-ιον* ortam esse voluit, et Hartelii, Hom. Studien, Sitzungsber. d. k. Ac. d. Wissensch. 68. B. Wien 1871, p. 453, qui eam ex adverbio *προ-ιν* derivatam esse putavit. Etymologia certa nondum inventa est; cf. W. Prellwitz, Etymol. Wörterbuch d. griech. Spr., Gött. 1905, p. 384.

[3]) Id quod primus observavit Foerster, Misc. lib. alt. p. 1.

[4]) *Πρὶν ἢ ἆσαι* Il. E 288 et X 266.

[5]) Bacchylides quoque *πρίν* nudam particulam adhibuit. Cf. infra p. 20 not. 5. *Πρίν* particula omnino deest in Sapphonis quattuor fragmentis in Aegypto nuper inventis et in Timothei „Persis“.

[6]) 38ies, particula *πρίν* sola 50ies tradita est. Similiter in Pherecydis reliquiis *πρίν ἤ* bis, *πρίν* semel occurrit.

[7]) In inscriptione Olynthia initio saeculi quarti incisa, cf. O. Hoffmann, Griech. Dialecte, vol. III, Göttingen 1898, p. 9, n. 13 B, l. 5 *πρὶν ἐξάγειν.*

[8]) Quod primus Elmsleius, adnot. ad Eurip. Med. 179 observavit. — Cf. Prause l. l. p. 39.

libris Thucydidis unum[1]), Xenophontis tria[2]) nonnullaque apud Isocratem, Aeschinem, Demosthenem, Lycurgum.[3]) Quae quamquam pleraque in codicibus omnibus aut optimis[4]) exstant, Wagner et Luethius emendare voluerunt, quod rarissima essent neque in titulis Atticis coniunctio πρὶν ἤ exstaret. Valde dubito eorum emendationem probare; nam Athenis titulus anno 418 incisus inventus est[5]), in quo πρὶν ἤ exstat. Tabula illa rogationem Adusii cuiusdam continet, ad quam ipsam haec addita sunt: πρᾶξαι δὲ ταῦτα πρὶν ἢ ἐξιέναι τήνδε τὴν βουλὴν ἢ εὐθύνεσθαι χιλίαισι δραχμαῖσι ἕκαστον. Quo loco πρὶν ἤ particulam Ionicae dialecti esse Meisterhansius quoque suspicatur.[6]) Quam opinionem sequor. Quin ex Ionica dialecto in Atticam haec formula manare facile potuerit, nemo dubitabit nisi qui nescit, quantum Attici Ionibus in commercio, artibus, litteris debuerint.[7])

Temporibus κοινῆς διαλέκτου, in qua multa alia vocabula et dicendi rationes Ionicae occurrunt[8]), haec quoque formula invaluit, quin etiam a nonnullis saepius adhibita est quam πρίν sola particula.

Quo clarior res evadat, duo huius dialecti genera, quae Guilelmus Schmid „niedere und höhere κοινή“ appellavit, accurate discernenda sunt. Alterum genus sermo popularium

---

[1]) Thuc. V, 61, 1. Quo loco complures viri docti *πρὶν ἤ* particulam correxerunt in *πρὶν δή*, Sturmius l. l. p. 96 delevit voculam *ἤ*, sed cf. Warren l. l. p. 75.

[2]) Xenoph. Exp. IV, 5, 1; Inst. Cyri I, 4, 23; Ag. 2, 4.

[3]) Locos invenis in Luethii dissertatione p. 34 sq.

[4]) Quod Wagner et Luethius ipsi concesserunt. In medium proferantur nonnulla exempla: Inst. Cyri I, 4, 23 et Ages. 2, 4, „melioris notae codices habent *πρὶν ἤ*“ (Wagner, l. p. 53); Dem. XXXIII, 34 „nullus codex *ἤ* omisit neque iusta causa, cur *ἤ* deleatur, est“ et Lyc. Leocr. 128 „codd. ad unum omnes consentiunt“ (in particula *πρὶν ἤ* adhibenda) (Lueth. l. p. 35) Dem. VIII, 59 *πρὶν ἤ* in codice Σ exstat.

[5]) I. G. vol. I, suppl., 53, a, 9.

[6]) Grammatik der attischen Inschriften, 2. Aufl., Berlin, 1888, p. 210.

[7]) Cf. Kaibel „Stil und Text der *Ἀθηναίων πολιτεία* des Aristoteles“, Berlin 1893, p. 42. Diener, De sermone Thucydideo quatenus cum Herodoteo congruens differat a scriptoribus Atticis, Diss. Lips. 1889.

[8]) Cf. A. Thumb, Die griech. Sprache im Zeitalter des Hellenismus, Straßburg 1901, p. 211 sqq. al.

cotidianus est. Quo usi sunt et ei qui Veteris Testamenti libros in linguam Graecam verterunt, et plerique Novi Testamenti auctores. Videamus, quam rationem ei observaverint. In Veteris Testamenti translatione, quae inscribitur Septuaginta, 26ies πρὶν ἤ, 32ies πρίν exstat, et ceteri quoque interpretes — Aquila, Symmachus, Theodotion — πρίν particulam modo solam modo cum ἤ vocula coniunctam exhibuerunt. [1]) In Novi Testamenti libris πρίν coniunctio non nisi in evangeliis et in actis apostolorum invenitur. Auctores horum librorum, uno Luca excepto [2]) viri indocti, coniunctionibus πρίν et πρὶν ἤ promiscue usi sunt. [3]) Quae cum ita sint, πρὶν ἤ particulam in vulgari sermone usitatam fuisse apparet.

Alterum genus in eruditiorum consuetudine vivebat. Huius generis non multa tradita sunt [4]), dignissimi qui commemorentur Polybii libri, in quibus, quamvis raro coniunctio πρίν adhibita sit — 7ies in prioribus quinque libris [5]), — semper ἤ vocula addita est. Neque igitur Polybius ab aetatis suae usu recessit.

Venimus ad eos scriptores, qui ad antiquos, inprimis Atticos, recurrerunt eorumque totam dicendi rationem imitati sunt, quam ob rem atticistae appellati sunt. Quorum notissimi,

[1]) Cf. Hatch and Redpath, A Concordance to the Septuagint and the Other Greek Versions of the Old Testament, Oxford 1897, II, p. 1203.

[2]) Lucas a ceteris seiungendus est, quod, ut vir haud indoctus, elegantiori dictioni operam dedit. Cf. Ed. Norden, Die antike Kunstprosa, II, p. 482.

[3]) C. H. Bruder, *Ταμιεῖον* . . sive Concordantiae omnium vocum Novi Testamenti Graeci, Gott. 1904, p. 733 sq.[6]:

πρὶν ἤ: Matth. 1, 18; Marc. 14, 30; Luc. 2, 26; 22, 34(?); Act. 2, 20(?); 7, 2; 25, 16.

πρίν: Matth. 26, 34; 26, 75; Marc. 14, 72; Luc. 22, 61; Ioan. 4, 49; 8, 58; 14, 29.

[4]) Artium scriptores respicere non possum, quia quemadmodum *πρίν* coniunctionem adhibuerint nondum investigatum est. Etiam Aristeas, auctor epistulae ad Philocratem, hac in quaestione praeteriri potest, quod omnino uno loco (§ 137 *τῶν πρίν*) particula *πρίν* adverbialiter usus est, cf. P. Wendland, Aristeae ad Philocratem epistula, Lips. 1900, p. 210.

[5]) S. Brief, Die Coniunctionen bei Polybius, I. T., Gymn.-Progr. Wien-Hernals 1891, p. 20.

Dionysius Halicarnassensis [1]), Lucianus, Aelianus, Philostratus secundus [2]), item et πρίν et πρὶν ἤ coniunctionibus usi sunt. Neque aliter utraque huius coniunctionis forma apud eos scriptores invenitur, qui non tam accurate, ut numero atticistarum ipsorum haberentur, antiquos secuti sunt, velut Diodorus Siculus [3]), Flavius Iosephus [4]), Plutarchus. [5]) Monendum est etiam apud Plotinum πρὶν ἤ particulam semel adhibitam esse. [6])

Vidimus πρὶν ἤ temporibus κοινῆς διαλέκτου in sermone vulgari et in eruditiorum dictione, apud atticistas et ceteros qui antiquorum voces formulasque dictioni suae immiscuerunt, usitatum fuisse. Quae cum ita sint, Raabio, Thouvenino, Nordenstamio [7]) aliisque assentiri non possum, qui scriptores hanc formulam ex Herodoti libris identidem perlectis in suam dictionem transtulisse putant. Immo vero censeo etiam atticistas ipsos, qui ne alias quidem semper elocutionem vulgarem evitare potuerunt, in hac re usum suorum temporum secutos esse.

Neque igitur Pausaniae ratio particulas πρίν et πρὶν ἤ adhibendi ab usu temporum ipsius aliena est.

Utrum Pausanias inter πρίν et πρὶν ἤ coniunctiones hiatus evitandi causa discreverit necne.

Complures scriptores recentioris aetatis, qui ab hiatu abhorrebant, πρὶν ἤ tantum ante consonantes, πρίν ante vocales exhibuerunt, velut Dionysius Halicarnassensis [8]), Diodorus Siculus [9]),

[1]) C. Jacoby, Observationes crit. in Dionysii Hal. Antiquitates Rom. Acta Societ. Philol. Lips. ed. Ritschelius, I (1872) p. 304 sq.

[2]) Guil. Schmid, l. l. III, p. 83 sq.; IV, p. 85 sq. — Thouvenin, l. l. 605 sq.

[3]) S. Brief, l. l. p. 21.

[4]) C. Raab, l. l. p. 44 sq.

[5]) H. Heinze, l. l. p. 45 sq.

[6]) E. Nordenstam, Studia syntactica, I, Syntaxis infinitivi Plotiniana, Diss. Upsalensis, 1893, p. 15.

[7]) Nordenstamius l. l. p. 15 errat, cum „*πρίν* particulam“, inquit, „cum vocabulo ἤ coniunctam non nisi apud Homerum et Hesiodum inveniri docet Sturm p. 147.“ Quod Sturmius nusquam docuit.

[8]) Jacoby, l. l. p. 304 sq.

[9]) F. Kaelker, De hiatu in libris Diodori Siculi, Leipz. Stud. z. kl. Philol., 3 (1880) p. 310.

Flavius Iosephus[1]), Plutarchus.[2]) Iam Polybius, qui semper πρίν particulam cum ἤ vocula coniunxit, post ἤ vocales evitavit.[3])

Periegeta, qui alibi quoque hiatum admisit[4]), hoc discrimen non observavit. πρὶν ἤ ante vocalem 17 locis invenitur. Quorum hiatuum nonnulli leviores sunt, quos loquens aphaeresi facile tollere potest. Inveniuntur ante ε vocalem:

ante ἐς: V, 2, 4; VI, 14, 2; 21, 6; 23, 1; VII, 13, 2, 22, 6.
ante ἐκ: IX, 41, 4.
ante ἐμέ: IX, 29, 2.[5])
ante ἐδιδάχθην: X, 4, 3.

Hiatus graviores exstant

a) ante spiritum asperum

πρὶν ἤ οἱ I, 14, 4; II, 5, 1; VIII, 50, 10.
πρὶν ἢ ὑπὸ πυρός X, 31, 4.
πρὶν ἢ ἥλιον X, 38, 8.
πρὶν ἢ ἡβῆσαι X, 34, 8.

b) ante spiritum lenem

πρὶν ἢ αἴσθοιτο VI, 4, 1.
πρὶν ἢ ἀκριβῆ X, 22, 11.

Πρίν autem sola coniunctione Pausanias 12ies ante particulas quae a consonante incipiunt, usus est:

ante δέ: I, 18, 6; 29, 10; II, 31, 9; 37, 3; III, 8, 4; VIII, 47, 3; IX, 34, 1.
ante γάρ: II, 31, 8; X, 13, 10.
ante γε: VI, 4,1; VII, 16, 3.
ante μέν: VI, 24, 1.

Qui usus non offendit; nam multi aequalium Pausaniae item hiatum admiserunt. Ut uno exemplo utar, in Aeliani libris identidem vocalem post πρὶν ἤ invenimus.

---

1) Quamquam hic nonnusquam *πρίν* solam particulam ante consonantes quoque adhibuit, cf. Raab, l. l. p. 45.

2) Heinze, l. l. p. 45. sq.

3) Kaelker, Quaestiones de elocutione Polybiana, l. l. p. 248.

4) Velut I, 29, 13: *ἐναντία ἠγωνίσαντο*, qua in condicione Polybius semper formam *ἐναντίον* adhibuit.

5) Cf. X. 32, 10: *γενεᾷ δὲ ἤ με γενέσθαι μιᾷ πρότερον κτλ.*

De πρότερον particula et vocibus, quibus significatio „prius“ inest, antecedentibus.

Enuntiato a πρὶν (ἤ) particula pendenti scriptores praemittere consueverunt πρότερον vel aliquod vocabulum significationem „πρότερον“ in se gerens, ut verbum cum πρό praepositione compositum aut φθάνειν cum participio coniunctum. Qui usus originem duxisse videtur ab Homero; apud quem persaepe πρίν coniunctioni respondet altera particula πρίν ad verbum enuntiati primarii posita. Cum πρίν particula adverbii vi induta in scriptorum dictione rarior fieret[1]), πρότερον particula locum eius occupavit. Itaque eos scriptores qui πρίν et πρὶν ἤ particulas promiscue exhibuerunt, πρίν et πρὶν ἤ coniunctionibus πρότερον vocabulum praemisisse quis miretur! Invenimus hunc pleonasmum et apud Herodotum et apud Atticos. In perpaucis Polybii exemplis semel φθάνειν (I, 66, 3) antecedit; Diodorus quoque nonnusquam πρότερον particulam πρὶν ἤ coniunctioni addidit (ut I, 64, 7). Quodsi apud Pausaniam quoque haec verborum abundantia invenitur, Pfundtneri opinioni assentiri dubito, qui Periegetam in particula πρότερον ante πρὶν ἤ coniunctionem adhibenda „Patrem historiae“ imitatum esse censet.[2]) Nam vidimus hanc abundantiam omnibus temporibus exstitisse. Hoc unum concedendum est eam videri in vulgari sermone defuisse.

Sed videamus nunc, qualis in hac re Pausaniae usus fuerit. Ante πρίν solum invenimus πρότερον (φθάνω, προ-), si iungitur cum infinitivo antecedente sententia et affirmativa [I, 11, 7: ἔφθη; I, 26, 1; V, 2, 3: προ-αποθανόντος] et negativa [II, 31, 8; X, 25, 8]. Eandem particulam enuntiato, in quo πρὶν ἄν cum coniunctivo exstat, Periegeta praemisit sed ea condicione, ut enuntiatio primaria negativa esset [V, 13, 4; VII, 27, 5; 16, 5].

Multo saepius πρότερον (προ-, φθάνω) ante πρὶν ἤ coniunctionem exstat. Invenitur in sententia negativa, si πρὶν ἤ particulam sequitur

---

1) Sturmius l. l. p. 140 *πρίν* adverbium in sermone cotidiano usitatum fuisse suspicatur, quod illud — quamvis raro — apud Atticos invenitur. De Pausania autem cf. quae p. 4 not. 1 dicta sunt.

2) O. Pfundtner, Pausanias Periegeta imitator Herodoti, Diss. Regim. 1866, p. 43.

1. infinitivus: I, 14, 4; 23, 4; 28, 4; IV, 6, 4 (προ-αποθανόντα); X, 31, 4. Quo accedit I, 24, 7 (οὐκ ἦν πω).
2. indicativus: I, 1, 2; 34, 1; IV, 12, 6; X, 4, 3; 22, 11.
3. coniunctivus: V, 16, 8; VII, 21, 3; IX, 13, 2.
4. optativus: II, 5, 1; V, 21, 5; VI, 4, 1.

Unde apparet, quantopere inter se differant Pausaniae usus et Herodoti[1]), qui πρότερον non adhibuit nisi ante ea enuntiata in quibus coniunctivus vel indicativus exstat.[2])

Atque ut Herodotus hoc pleonasmo — uno φθάνειν verbo excepto — nisi in sententia primaria negativa non usus est, ita apud Pausaniam invenitur etiam in sententia affirmativa, si infinitivus coniunctionem sequitur. Qui loci sunt: II, 28, 6 (προ-λαβεῖν); III, 1, 6; V, 12, 5 (προ-ετίθεντο); V, 24, 2; 25, 11; VII, 15, 1 (φθάνῃ); 16, 2; VIII, 42, 8; IX, 6, 6; 29, 2; X, 22, 11 (ἔφθησαν); X, 34, 8; 36, 2.

Apud Atticos saepe πρίν coniunctioni cum infinitivo coniunctae in sententia et negativa et affirmativa πρότερον praecessit, qui usus per saecula sequentia valuit. Cum Herodoto Pausanias in hac ipsa re congruit, quod φθάνειν verbum nisi in sententia affirmativa non exhibuit infinitivo coniunctionem sequente. Sed invenimus eundem usum apud recentiores, velut apud Polybium (I, 66, 3). Neque vero eo processit Periegeta, quo nonnulli Attici, qui ante πρίν coniunctionem φθάνειν verbum omisso participio exhibuerunt, ut Xen. Anab. II, 5, 5; IV, 1, 21; Antiph. I, 29.[3]) Uno loco πρότερον exstat in sententia affirmativa indicativo πρὶν ἤ coniunctionem sequente I, 28, 10: πρότερον δὲ πρὶν ἢ Θησεὺς ἀφείθη, καθειστήκει πᾶσι φεύγειν κτλ. Sed recedit hic locus a Pausaniae ratione dicendi non modo ea re, quod apud Periegetam πρότερον neque ante πρίν neque ante πρὶν ἤ coniunctiones cum indicativo coniunctas in sententia affirmativa invenitur, sed etiam aliis de causis, quae in medium proferentur, si ad indicativum a πρὶν ἤ particula pendentem pervenerimus.[4])

[1]) Sturm, l. l. p. 86.
[2]) Aeque ac Pausanias Aelianus πρότερον in sententia negativa ante πρὶν ἤ cum infinitivo coniunctum adhibuit, cf. Thouvenin l. l. p. 607.
[3]) I. Sturm, pp. 107 et 123.
[4]) Cf. p. 25.

Postquam Pausaniam in particula πρότερον adhibenda non ad Herodotum recurrisse, sed multo longius quam hunc processisse demonstravimus, excipit nos quaestio,

qualis structura enuntiati a πρίν (ἤ) coniunctione incipientis fuerit.

I. De infinitivo coniunctionem sequente.

Infinitivum cum πρίν particula coniungere vetustissimus, ne dicam genuinus usus[1]) erat iam tum, cum coniunctionis vim nondum induerat; qui usus per saecula valuit. Homerus infinitivum solum fere adhibuit.[2]) Apud scriptores Ionicos[3]) et Atticos[4]) usitatissimus erat neque minus recentioribus temporibus in deliciis habebatur. Polybius[5]) in prioribus quidem quinque libris non usus est πρὶν ἤ coniunctione nisi infinitivo sequente atque etiam in sacris Codicibus utriusque Testamenti infinitivus principatum obtinet. Aeque ei qui imitatores antiquorum appellantur, in hac structura infinitivum modis praetulerunt. Neque igitur mirandum est, quod etiam apud Pausaniam longe plurimis locis infinitivus exstat. Invenitur infinitivus post πρὶν ἤ 59ies, post πρίν nudum 20ies. In particulis πρίν et πρὶν ἤ cum infinitivo coniungendis ab Herodoto subtile discrimen observatum esse Foerster docet, cuius verba[6]), quo clarius res evadat, affero: „Solet enim in hac structura πρίν nudam particulam usurpare, si enuntiatio primaria praesenti tempore continetur, multo rarius, si ad tempus praeteritum refertur. Πρὶν ἤ autem cum infinitivo aoristi in narratione rerum gestarum legitima structura est, si in apodosi indicativus aoristi aut imperfecti aut plusquamperfecti, quod sensum imperfecti habet, positus est.“

Quod discrimen iam a philosophis et iatrosophistis Ionicis neglectum[7]) Pausanias omnino non observavit. Apud quem semel

[1]) Cf. Foerster lib. prior. p. 10 sq. — Sturm l. l. p. 6 sq.
[2]) Infinitivus 81ies, modi 7ies exstant.
[3]) Cf. Foerster lib. alt. p. 5. et Brackett l. l. p. 228 sq.
[4]) Sturm passim. Praeterea de Thucydide cf. tabellam datam a Winifreda Warren l. l. p. 74. De oratoribus cf. Gildersleeve l. l. p. 474.
[5]) Brief l. l. p. 20.
[6]) Alt. lib. p. 5.
[7]) Ibidem p. 6.

atque iterum infinitivum aoristi cum πρὶν ἤ coniunctum invenimus, quamquam enuntiati primarii actio praesenti aut nonnusquam etiam futuro tempore continetur. Exstat praesentis indicativus I, 37, 3 (πρὶν δὲ ἢ διαβῆναι τὸν Κηφισόν, Θεοδώρου μνῆμά ἐστι), III, 19, 7; V, 5, 8; 6, 7; VI, 23, 1 (in enunt. subord. infinitivus praesentis[1]); VII, 22, 6; IX, 4, 4; X, 36, 2; infinitivus I, 28, 4; X, 34, 8; optativus potentialis X, 25, 5. Perfecti indicativus, qui praesentis locum tenet, exstat VIII, 36, 1: πρὶν δὲ ἢ συντελεῖν ἐς τὸ Μεγαπολιτικόν, γεγόνασι καὶ Μεθυδριεῦσιν ἀνδράσιν Ὀλυμπικαὶ νῖκαι. Quo loco a coniunctione infinitivus praesentis pendet. Indicativum futuri invenimus I, 32, 3 (πρὶν δὲ ἢ τῶν νήσων ἐς ἀφήγησιν τραπέσθαι, τὰ ἐς τοὺς δήμους ἔχοντα αὖθις ἐπέξειμι) et II, 26, 1 (ἀφίξῃ).

Tum πρίν sola particula cum infinitivo coniuncta saepius invenitur, si actio enuntiationis primariae ad praeteritum tempus refertur quam si praesenti [vel futuro] tempore continetur. Praesenti tempore non continetur nisi locis VIII, 47, 3 (ind. praes.); IX, 34, 1 (ind. praes.); VII, 5, 9 (ind. perf.); VI, 24, 1 (part. praes.). Multo crebrius ad praeteritum tempus refertur. Exstat aoristi indicativus I, 11, 7; 29, 10; II 26, 1; 31, 8; III, 8, 4, participium I, 29, 13 (κρατήσαντες); V, 2, 3 (προαποθανόντος), infinitivus (in oratione obl. adhibitus) II, 31, 9; X, 13, 10, imperfectum II, 31, 8 (ἤθελεν); 37, 3 (ἠφίεσαν); III, 13, 3 (εἶχεν); IX, 10, 6 (ἐκαλεῖτο). Quibus addendi sunt loci VIII, 47, 6 et IX, 23, 4, ubi praesens historicum aoristi locum tenet.

Periegetam inter πρίν et πρὶν ἤ particulas non discrevisse vel ex his duobus exemplis inter se comparatis apparet:

VIII, 50, 10: μετὰ δὲ ταῦτα Νάβις ... τελευτᾷ πρὶν ἤ οἱ τοῦ πολέμου τὰς ἀνοχὰς ἐξήκειν et IX, 23, 4: τὸν μὲν αὐτίκα τὸ χρεὼν ἐπιλαμβάνει πρὶν ἐξήκειν ἡμέραν δεκάτην ἀπὸ τοῦ ὀνείρατος.

Talem in modum omnes eos locos cognovimus quibus enuntiato subordinato a πρίν nuda particula pendente in apodosi actio verbi ad praeteritum aut ad praesens tempus refertur,

[1] De quo loco cf. infra p. 18.

eosque quibus πρὶν ἤ coniunctione sequente in apodosi praesens aut futurum tempus exstat.

Restat ut enumeremus, quibus locis infinitivus a πρὶν ἤ particula pendeat, si actio enuntiationis primariae ad praeteritum tempus refertur.

Indicativus aoristi in apodosi invenitur I, 8, 3; 14, 4; 29, 7; II, 5, 7; IV, 6, 1; 18, 3; V, 24, 2; 25, 11; VI, 19, 10; VII, 16, 2; X, 22, 11. Ad aoristi participium enuntiatum subordinatum pertinet II, 14, 2 (τοῦ πολέμου καταλυθέντος); IV, 6, 4 (Θεόπομπον ... προαποθανόντα ἴσμεν); 8, 5 (ἀντιδράσαντα); 31, 11 (οἱ βασιλεύσαντες); VIII, 42, 8 (Ἱέρωνος δὲ ἀποθανόντος), ad aoristi optativum (in orat. obl. adhibitum) VI, 15, 5 (ἐσκαλέσαιντο), ad infinitivum II, 26, 1 (βασιλεῦσαί φασι Πιτυρέα); III, 1, 6 (Ἀριστοδήμῳ ... τὴν τελευτὴν συμβῆναι λέγουσιν); V, 2, 4 (ἀποπνιγῆναι σφᾶς); VI, 21, 6 (λέγουσι Πέλοπα θῦσαι); VII, 13, 2 (ἐκέλευε ... ἐς λόγους ἐλθεῖν); IX, 6, 6 (λέγεται ὖσαι τέφραν ὁ θεός); X, 31, 4 (συμβῆναι); 38, 8 (καὶ ἀναλῶσαι τὰ κρέα). Huc accedit locus VIII, 15, 3 quem omnes codices praeter Pa ita tradunt: Φενεατῶν δέ ἐστι λόγος, καὶ πρὶν ἢ Ναόν, ἀφικέσθαι γὰρ καὶ ἐνταῦθα Δήμητρα πλανωμένην. Cod. Pa solus omisit particulam γάρ[1]), quae sensum videtur turbare. Quem codicem solum contra omnes ceteros sequi veritus Hitzigio assentior, qui γάρ particulam retinens inter Ναόν et ἀφικέσθαι lacunam indicavit. Sed quocumque modo res se habet, apparet enuntiatum subordinatum ad infinitivum aliquem pertinuisse, cum oratio obliqua adhibita sit.

Imperfecti indicativus in enuntiato primario exstat: I, 6, 5; 24, 7; II, 28, 6; IV, 17, 3; V, 12, 5; VI, 7, 5; VII, 3, 8; 15, 1; 16, 9. Quibus exemplis addere necesse est locum X, 3, 3, quo verbum auxiliare ἦσαν cum participio praesentis οἱ κατάγοντες coniunctum est.

Plusquamperfecti indicativum invenimus I, 12, 4 (ἑωράκεσαν) et X, 21, 6 (ἐπεγέγραπτο). Quorum locorum in numero habendus est locus IX, 29, 2, quo participium ἐκλελοιπυῖα cum verbo auxiliari ἦν exstat. Ad tempus praeteritum refertur etiam praesens historicum locis VI, 14, 2 et VIII 50, 10, neque

[1] Sed a correctore in margine addita est. De hoc codice cf. Hitzig, Mél. Nicole, Paris 1905, p. 261—73.

minus eodem tempore continentur exempla haec: primum I, 43, 4: μνῆμα ἔλεγον τὸ μὲν Πυργοῦς εἶναι γυναικὸς Ἀλκάθου πρὶν ἢ τὴν Μεγαρέως αὐτὸν λαβεῖν Εὐαίχμην. Ubi enuntiatio a πρὶν ἢ formula pendens ad verba γυναικὸς Ἀλκάθου pertinet, ad quae participium γενομένης cogitandum est.

Deinde IV, 35, 1: Μοθώνη δὲ πρὶν ἢ τὴν στρατιὰν ἐς Τροίαν ἀθροισθῆναι καὶ ἐπὶ τοῦ πρὸς Ἰλίῳ πολέμου καλουμένη Πήδασος μεταβέβληκεν ὕστερον τὸ ὄνομα. Nam participium καλουμένη, cuius tempus enuntiato subordinato determinatur, imperfecti locum habet: Μοθώνη δέ, ἣ πρὶν ἢ ... ἀθροισθῆναι ... ἐκαλεῖτο.

Tum IX, 41, 4: ἐν μέν γε τοῖς Εὐμαίου λόγοις πρὸς Ὀδυσσέα, πρὶν ἢ ἐκ Πύλου Τηλέμαχον ἀφικέσθαι σφίσιν ἐπὶ τὴν αὐλήν, ἐν τούτοις τοῖς λόγοις ἐστίν κτλ. Ubi Pausanias, qua erat breviloquentia, verbis ἐν τοῖς λόγοις, ad quae enuntiatum subordinatum refertur, participium ῥηθεῖσιν vel enuntiationem relativam οὓς εἶπεν addere omisit.

Quibus locis infinitivo coniunctionem sequente enuntiatio primaria affirmativa, quibus negativa sit.

Enuntiatio primaria, si a πρίν vel πρὶν ἤ coniunctionibus infinitivus pendet, 70 locis affirmativa (ante πρίν nudam particulam 18, ante πρὶν ἤ formulam 52 locis)[1], 10 locis negativa (ante πρίν particulam 2, ante πρὶν ἤ formulam 8 locis) est. In deliciis igitur in hac structura habuit Pausanias enuntiatum primarium affirmativum, negativum multo rarius adhibuit. Qui usus neque ab Herodoto neque ab Atticis neque a Polybio aliisque scriptoribus differt. Iam apud „Patrem historiae" coniunctioni πρίν (πρὶν ἤ) semper fere sententia affirmativa antecedit.[2] Similiter scriptores Attici[3] sententiam affirmativam longe plurimis locis adhibuerunt

[1]) Affirmativa enuntiatio prim. etiam loco VIII, 47, 3 est: *ἱερᾶται δὲ τῇ Ἀθηνᾷ παῖς χρόνον οὐκ οἶδα ὅσον τινά, πρὶν δὲ ἡβάσκειν καὶ οὐ πρόσω, τὴν ἱεροσύνην.* Nam verbis illis *χρόνον οὐκ οἶδα ὅσον* modo tempus incertum exprimitur.

[2]) 41 ies enunt. prim. affirmativa, bis (vel ter) negativa est. Cf. Foerster, lib. alt. p. 6. I. Sturm l. l. pp. 77 et 86, 87.

[3]) Apud Thucydidem, ut permultis locis infinitivus coniunctionem *πρίν* sequitur, ita 10 modo locis sententia prim. negativa est, quorum tres soli veram negationem continent. Cf. Wagner l. l. p. 17 sq.

itemque Polybius.[1]) Enuntiatum negativum πρίν (ἤ) coniunctioni cum infinitivo coniunctae non praemiserunt nisi his condicionibus, aut ut negatio non vera esset, sed rhetorice adhibita sensum affirmativum augeret, aut ut infinitivus a coniunctione pendens merae temporis determinationi inserviret.

Videamus nunc, qualis in hac re Pausaniae usus fuerit. Exempla igitur, in quibus enuntiatio primaria negativa est, singula in medium proferamus.

Primum I, 12, 4: Pausanias narrat Pyrrhum, cum in Italiam expeditionem faceret, elephantos secum duxisse; quorum adspectu Romanos valde perturbatos esse. Cuius terroris causam in ea re positam esse putat, quod et Graeci et Romani ebur quidem iam ex antiquissimis temporibus, non animalia ipsa usque ad illud tempus cognovissent: αὐτὰ δὲ τὰ θηρία, πρὶν ἢ διαβῆναι Μακεδόνας ἐς τὴν Ἀσίαν, οὐδὲ ἑωράκεσαν ἀρχήν. Quis dubitet quin sententia subordinata meram temporis notionem „ante Macedonum in Asiam expeditionem" contineat?

Deinde I, 14, 4: agitur de Epimenide vate Cnossio, qui per multos annos in spelunca dicitur dormivisse: ὁ δὲ ὕπνος οὐ πρότερον ἀνῆκεν αὐτὸν πρὶν ἤ οἱ τεσσαρακοστὸν ἔτος γενέσθαι καθεύδοντι. Enuntiatio a πρὶν ἤ coniunctione pendens inservit temporis determinationi, quam diu vates dormiverit, et idem valet ac sola verba τεσσαράκοντα ἔτη, ut totus locus hanc significationem habeat: quadraginta annos dormiebat, tum perrectus est.[2])

Tum I, 24, 7: πρὶν δὲ ἢ γενέσθαι Πανδώραν οὐκ ἦν πω γυναικῶν γένος. Ubi enuntiato subordinato certa temporis notio expressa est „ante Pandoram natam."

Nec aliter se habet locus I, 28, 4: Philippides, ut Lacedaemonios contra Persas arcesseret, Spartam missus, Atheniensi-

Apud Xenophontem e 109 (Wagner l. l. p. 27: 107) exempla 6 (Wagner p. 28: 5) vere negativa sunt, cf. Sturm l. l. p. 97.

Apud oratores Atticos 155 ies enunt. prim. affirmativa, 23 ies negativa invenitur, cf. Sturm l. l. p. 109; Lueth passim.

Apud Platonem 91 ies enunt. prim. affirmativa, 16 ies negativa exstat, cf. Sturm l. l. p. 126.

[1]) Polybius quinquies enuntiatum affirm., bis negat. adhibuit, cf. Brief l. l. p. 20.

[2]) Cf. Hitzigii et Bluemneri adnot. ad h. l. ed. vol. I, 1, p. 192.

bus nuntium rettulit Lacedaemonios esse prohibitos auxilio venire: εἶναι γὰρ δὴ νόμον αὐτοῖς μὴ πρότερον μαχουμένους ἐξιέναι πρὶν ἢ πλήρη τὸν κύκλον τῆς σελήνης γενέσθαι. Ubi sensus temporalis clarior est, quam ut de eo verba faciamus. „Ante lunam plenam Lacedaemoniis proficisci non licebat.“

Tum locus IV, 6, 4 in medium proferatur. Ubi Pausanias obloquitur Myroni Prienensi Theopompum Lacedaemoniorum regem in bello Messeniaco ab Aristomene occisum esse referenti. Argumento affert haec:

Θεόπομπον δὲ οὔτε μάχης γινομένης οὔτε ἄλλως προαποθανόντα ἴσμεν πρὶν ἢ διαπολεμηθῆναι τὸν πόλεμον. Sensus argumenti hic est: Theopompus in bello occisus esse non potest; nam vixit tum etiam, cum bellum confectum est. Itaque enuntiatio subordinata meram temporis notionem „belli finem“ continet.

Denique enuntiatum a πρὶν ἢ particula pendens temporis determinandi causa adhibitum est VII, 3, 8: Κλαζομενίοις δὲ καὶ Φωκαιεῦσι, πρὶν μὲν ἢ Ἴωνας ἐς τὴν Ἀσίαν ἐλθεῖν, οὐκ ᾠκοῦντο αἱ πόλεις „Clazomeniis et Phocaeensibus oppida non erant ante Ionum in Asiam invasionem“.

Ita vidimus apud Pausaniam enuntiatum a πρὶν ἢ particula pendens antecedente sententia negativa plerisque locis aeque atque apud Ionicos et Atticos merae temporis notioni inservire. At inveniuntur etiam loci quibus ab hoc usu recessit, velut V, 5, 8: πρὶν δὲ ἢ καταδέξασθαι τὸν Ἀκίδαντα καλούμενον δῆλός ἐστιν οὐδὲ ἀρχὴν τρέφων ἰχθῦς. Descriptus est Anigrus flumen, cuius aquae a fonte usque ad eum locum, ubi Acidas cum eo se coniunxit, tam male olebant, ut animalia in eis vivere non possent. Qua ex re ipsa apparet enuntiato subordinato quodammodo localem sensum inesse.

Neque cum antiquorum usu consentit locus X, 31, 4: τὸν δὲ ἐπὶ τῷ δαλῷ λόγον, ὡς δοθείη μὲν ὑπὸ Μοιρῶν τῇ Ἀλθαίᾳ, Μελεάγρῳ δὲ οὐ πρότερον ἔδει τὴν τελευτὴν συμβῆναι πρὶν ἢ ὑπὸ πυρὸς ἀφανισθῆναι τὸν δαλὸν καὶ ὡς ὑπὸ τοῦ θυμοῦ καταπρήσειεν αὐτὸν ἡ Ἀλθαία κτλ. Penes Althaeam Meleagri fortuna est. Si titionem acceptam intactam sinet, Meleager vivet; morietur, si titionem Althaea combusserit. Actio enuntiati primarii fieri non potest nisi ea condicione, ut actio enuntiati subordinati conficiatur. Itaque in enuntiato subordinato aliquatenus condicionis vim inesse apparet.

Condicionalis sensus mea quidem sententia exstat etiam II, 31, 8: mentionem facit Periegeta aedificii cuiusdam, in quo Orestes, qui matre interfecta Troezenem venit, habitasset. Cuius rei explicandae causa pergit: πρὶν γὰρ ἐπὶ τῷ αἵματι καθαρθῆναι τῆς μητρός, Τροιζηνίων οὐδεὶς πρότερον ἤθελεν αὐτὸν οἴκῳ δέξασθαι. Aedificium ei a Troezeniis datum erat, ut ibi scelere purgaretur.[1]) Neque enim quisquam tecto suo eum excipere voluit, priusquam id est nisi antea purgatus esset.

Quibus addendus est locus X, 25, 8. Relatum est, quae Lesches de Aethra Pitthei filia dixisset: cum urbe Troia capta Aethra in Graecorum castra venisset, Demophontem Thesei filium ab Agamemnone petivisse, ut sibi eam in matrimonium daret: ὁ δὲ ἐκείνῳ μὲν ἐθέλειν χαρίζεσθαι, ποιήσειν δὲ οὐ πρότερον ἔφη πρὶν Ἑλένην πεῖσαι. Agamemno ei Aethram dare noluit nisi ea condicione, ut Helena id concederet.

Alibi Pausanias ipse, si in enuntiato a πρίν (ἢ) particula pendente condicionis vis inest, coniunctivum adhibet. Confer cum X, 25, 8 locum VII, 21, 3: ἔλεγε . . . ἔσεσθαι δὲ οὐ πρότερον λύσιν πρὶν ἢ θύσῃ τῷ Διονύσῳ Κόρεσος κτλ.

Neque vero mirandum est Pausaniam non omnibus locis cum antiquorum usu consentire. Nam ne apud aequales quidem eius syntaxis eadem erat atque apud Atticos. Ut uno exemplo utar, apud Aelianum in eadem structura persaepe condicionis vis inest.[2])

Qualis infinitivus a coniunctione suspensus fuerit.

Inquiramus nunc, qui infinitivi adhibiti sint. Infinitivus aoristi, qui meram verbi notionem habet et maxime a certa temporis significatione abhorret, ab Homero[3]) solus adhibitus est et omnibus temporibus usitatissimus fuit.[4]) Infinitivus

[1]) Ut apparet e verbis sequentibus: *καθίσαντες δὲ ἐνταῦθα ἐκάθαιρον καὶ εἱστίων, ἐς ὃ ἀφήγνισαν.*

[2]) Thouvenin l. l. p. 608.

[3]) Cf. Foerster, lib alt. p. 5.

[4]) Apud Herodotum semel infinitivus perfecti, bis infinitivus praesentis, ceteris locis infinitivus aoristi exstat, cf. Foerster lib. alt. p. 6; Sturm l. l. p. 78. Brackettius infinitivum praesentis ter — semel post *πρίν*, bis post *πρὶν ἤ* particulam — invenit, l. l. p. 228 sq.

Apud Thucydidem et Xenophontem infinitivus praesentis invaluit: Thucydides eum 16ies, Xenophon 39ies adhibuit, sed infinitivus aoristi etiam tum

praesentis ea sola condicione admissus est, ut actio eius durans vel iterativa repraesentaretur.[1]) Cui infinitivo simillimus est infinitivus perfecti, quo item actio durans exprimitur.

Pausanias quoque infinitivum aoristi longe plurimis locis adhibuit. Ex eis 78 locis, quibus infinitivus a πρίν (ἤ) particula pendet, 14 modo infinitivum aoristi non habent. Infinitivum praesentis invenimus post πρίν particulam I, 18, 6; VI, 24, 1; VIII, 47, 3, post πρὶν ἤ formulam IV, 6, 1; VI, 21, 6; 23, 1; VII, 16, 2; VIII, 36, 1, infinitivum perfecti post πρίν coniunctionem I, 29, 10; III, 8, 4, post πρὶν ἤ particulam IV, 8, 5; VII, 15, 1. Addendi sunt loci VIII, 50, 10 (πρὶν ἤ) et IX, 23, 4 (πρίν), quibus infinitivus ἐξήκειν, qui perfecti significationem habet, exstat.

Videamus nunc, qua ratione Pausanias infinitivum praesentis et perfecti adhibuerit. Nonnusquam infinitivus praesentis in sententiis iterativis invenitur, si qua consuetudo descripta est velut VI, 23, 1: Ἐν δὲ Ἤλιδι τὰ ἄξια μνήμης γυμνάσιόν ἐστιν ἀρχαῖον· καὶ ὅσα ἐς τοὺς ἀθλητὰς πρὶν ἢ ἐς Ὀλυμπίαν ἀφικνεῖσθαι[2]) νομίζουσιν, ἐν τούτῳ σφίσι τῷ γυμνασίῳ δρᾶν καθέστηκε.

principatum obtinet. Infinitivus perfecti apud Thucydidem nunquam, apud Xenophontem ter invenitur, cf. Wagner l. l. p. 29 sq., Sturm l. l. pp. 90 et 99, Warren l. l. p. 64.

Apud oratores Atticos quoque infinitivus praesentis rarus est. Ex 178 locis 19 infinitivum praesentis habent. Infinitivus perfecti in genuinis oratorum libris omnino deest, cf. Lueth l. l. passim, Sturm l. l. p. 112, Gildersleeve l. l. p. 477. Plato infinitivum aoristi 76ies, praesentis 21ies, perfecti 10ies adhibuit; cf. Sturm l. l. p. 129.

Apud Polybium 6 locis infinitivus aoristi, semel infinitivus praesentis exstat, cf. Brief l. l. p. 21. Briefius ibidem docet in primo Diodori librorum bis infinitivum aoristi, semel praesentis inveniri.

Sed quod Briefius censet „Wir sehen also, daß Polybius und Diodor I sich in diesem Punkte enger an Herodot anschließen," mirum videtur. Illi pauci Diodori loci, quibus bis infinitivus aoristi, semel infinitivus praesentis exstat, minime argumento esse possunt, ac ne Polybium quidem hac in re Herodotum imitatum esse puto. Oportet potius inquirere, qualia singula exempla sint. Etiam in libris Novi Testamenti omnibus eis locis (undecim), quibus a **πρίν** (ἤ) particula infinitivus pendet, aoristi infinitivus invenitur. Num Novi Testamenti auctores „Patris Historiae" studiosos fuisse putabimus?

[1]) Sturm l. l. passim, velut p. 99. Gildersleeve l. l p. 477.

[2]) Cod. Pa solus ἀφικέσθαι lectionem habet, sed **νεῖ** super έ positum est.

Nec secus actionem iteratam invenimus loco VI, 24, 1, qui perspicuitatis causa totus proferendus est: καὶ ταύτῃ τοὺς Ἑλλανοδίκας ἰέναι καθέστηκεν ἐς τὸ γυμνάσιον· ἐσίασι δὲ πρὶν μὲν ἥλιον ἀνίσχειν συμβαλοῦντες δρομέας. Pariter se habet locus VIII, 47, 3.

Infinitivus praesentis exstat etiam I, 18, 6: πρὶν δὲ ἐς τὸ ἱερὸν ἰέναι τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου . . . ἐνταῦθα εἰκόνες Ἀδριανοῦ δύο μέν εἰσι κτλ. Ubi enuntiatio subordinata ad loci notionem accedit (= πρὸ τοῦ ἱεροῦ). In talibus enuntiatis, quae localem sensum in se gerunt, alibi apud Pausaniam ipsum infinitivus aoristi invenitur. Quod ad demonstrandum profero VII, 22, 6: πρὶν δὲ ἢ ἐς τὴν πόλιν ἐσελθεῖν, μνῆμά ἐστι λευκοῦ λίθου et IX, 34, 1: πρὶν δὲ ἐς Κορώνειαν ἐξ Ἀλαλκομενῶν ἀφικέσθαι, τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς ἐστι τὸ ἱερόν. Cf. locos I, 37, 3; V, 6, 7; IX, 4, 4. Neque vero offendit infinitivus ἰέναι; nam ut imperfectum[1]), ita infinitivus huius verbi locum aoristi tenet.

Cum antiquorum usu non consentiunt loci IV, 6, 1; VI, 21, 6; VII, 16, 2, ubi actio enuntiati subordinati ingressiva est, quam ob rem exspectandus est infinitivus aoristi.[2]) VII, 16, 2: ἐπήρθησαν οἱ Ἀχαιοὶ ποιήσασθαι τὴν ἔξοδον πρότερον πρὶν ἢ Ῥωμαίους ἄρχειν μάχης. Quo loco actio ingressiva non infinitivo aoristi expressa excusari potest, quod in ipso verbo ἄρχειν significatio ingrediendi inest. Similis est locus VI, 21, 6: λέγουσι δὲ καὶ Πέλοπα οἱ Ἠλεῖοι τῇ Ἀθηνᾷ θῦσαι τῇ Κυδωνίᾳ πρὶν ἢ ἐς τὸν ἀγῶνα αὐτὸν τῷ Οἰνομάῳ καθίστασθαι. In hoc quoque exemplo verbum καθίστασθαι habet significationem incipiendi: „certamen inire".

Non eadem excusatio est loco IV, 6, 1: πρὶν δὲ ἢ συγγράφειν με τὸν πόλεμον . . . διακρῖναι [τε] καὶ ἡλικίας πέρι ἠθέλησα ἀνδρὸς Μεσσηνίου aut loco VIII, 36, 1, quem iam supra p. 12 protuli.

Quae cum ita sint, Pausaniam in hac ratione infinitivi adhibendi ab antiquis recessisse apparet.

Actio durans aeque atque infinitivo praesentis etiam perfecti infinitivo exprimitur locis III, 8, 4 et VII, 15, 1, quibus

[1]) Cf. infra p. 39.

[2]) Sturm l. l, p. 42. — S. I. Cavallin, De temporum infinitivi usu homerico quaestiones, Diss. Lundae 1873, pp. 11 et 12.

infinitivus ἀφῖχθαι in infinitivi παρεῖναι significationem abiit. Satis est alterum attulisse III, 8, 4: πρὶν δὲ Ἄγιν καὶ τὸν στρατὸν ἀφῖχθαί σφισιν ἀμύνοντας, Θρασυδαῖος . . . μάχῃ Ξενίαν καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ κρατήσας ἐξέβαλεν ἐκ τῆς πόλεως. „Priusquam Agis cum exercitu adesset . . . , Thrasydaeus Xeniam proelio victum urbe expulit.“

Idem sensus inest loco IV, 8, 5: οἱ μὲν ζῶντες καὶ ἔτι ἄτρωτοι τοὺς τραυματίας παρώξυνον, πρὶν ἢ τὴν ἐσχάτην τινὶ ἐφεστηκέναι μοῖραν ἀντιδράσαντα ὅ τι καὶ δύναιτο, σὺν ἡδονῇ δέχεσθαι τὸ πεπρωμένον: „priusquam dies supremus sibi adesset“. — Singularis est locus I, 29, 10: πρὶν δὲ εἰργάσθαι τὸ ἔργον ὑπὸ τῶν συνειδότων μηνυθέντες ἀπώλοντο. Quo loco Pausanias infinitivum perfecti adhibuit, ut actionem enuntiati primarii evenisse exprimeret, priusquam actio alterius enuntiati confecta ac finita esset.

Ut obiter locos VIII, 50, 10 et IX, 23, 4[1]) commemorem, infinitivus ἐξήκειν idem valet quod infinitivus perfecti διεληλυθέναι „praeterisse“, quem Sturmius ita transtulit: „verflossen, vorbei sein“.[2])

Priusquam hanc quaestionis partem concludam, in medium proferre debeo locum I, 23, 4, quo infinitivus post πρὶν ἤ deesse videtur. Periegeta, postquam apud Graecos arcum in bello non in deliciis habitum esse dixit, haec verba addidit: δοκῶ δὲ οὔτε πρότερον ἐπίστασθαι σφᾶς πρὶν ἢ Φιλοκτήτην, παύσασθαί τε οὐ διὰ μακροῦ. Apparet infinitivum enuntiati primarii ἐπίστασθαι etiam ad πρὶν ἤ particulam cogitandum esse. Infinitivus ἀπὸ κοινοῦ adhibitus est. Qui usus neque apud Herodotum neque apud plerosque Atticos invenitur. Sed excusatur Periegeta Platonis ratione dicendi, qui semel atque iterum infinitivum post πρίν particulam ponere omisit.[3])

II. De modis a πρίν (ἤ) coniunctione pendentibus.

a) De indicativo.

Indicativus a πρίν (ἤ) pendens neque apud Homerum[4]) neque apud poetas lyricos[5]) nisi ter apud Pindarum exstat.

[1]) Quos supra laudavi p. 12.

[2]) Sturm, p. 100. Infinitivus *διεληλυθέναι* apud Herodotum, Xenophontem aliosque exstat.

[3]) Sturm, l. l. p. 131. [4]) Foerster, prior. lib. p. 10.

[5]) Sturm, l. l. p. 52. De Sapphonis fragmentis nuper inventis et de

Tragici et comici eum perraro, semper post apodosin affirmativam[1]), Herodotus[2]) et Attici (raro) non nisi antecedente sententia negativa adhibuerunt. Unus Thucydides[3]) indicativo sexies post negativam, sexies post affirmativam enuntiationem usus est. Apud oratores Atticos uno loco excepto et apud Platonem enuntiatum primarium semper negativum est.[4]) Polybius, ut iam supra dictum est, modos post πρὶν ἤ coniunctionem omnino non adhibuit.

Inquiramus nunc, quam rationem Pausanias observaverit. Indicativus post πρὶν ἤ 13ies, post πρίν ter exstat. Actio enuntiati primarii semper praeteritum tempus spectat. Ante πρὶν ἤ in apodosi invenitur aoristi indicativus IV, 12, 6; X, 4, 3; X, 22, 11, participium I, 34, 1 (κτησάμενοι), plusquamperfecti indicativus I, 28, 10.[5]) Creberrimus est indicativus imperfecti: I, 1, 2; II, 3, 7; 20, 1; V, 21, 5; VI, 21, 3; VII, 24, 13. Praeterito tempore actio apodoseos continetur etiam I, 3, 2, ubi optativus aoristi exstat; nam cum oratione obliqua adhibita ab ὅτι coniunctione pendeat, indicativi aoristi locum occupavit. Singularis est locus III, 13, 7: τῷ δὲ ἥρωϊ τούτῳ πρὶν ἢ τῷ θεῷ θύουσιν αἱ Διονυσιάδες καὶ αἱ Λευκιππίδες. Quo in exemplo aut indicativus θύουσιν adhibitus est ἀπὸ κοινοῦ aut ex verbo enuntiati primarii θύουσιν ad πρὶν ἤ coniunctionem infinitivus θῦσαι sumendus est. Cf. supra p. 20.[6])

In apodosi ante πρίν nudum bis imperfecti indicativus invenitur VI, 5, 6 et VII, 16, 3. Praeterito tempore actio fit

Timothei „Persis“ cf. p. 4 adnot. 5. Apud Bacchylidem *πρίν* quinque locis exstat (cf. Blass. ed. III, Lips. 1904, Ind.). Quorum locorum uno (XII, 114) particula adverbii vim habet, alius (XVIII, 38) corruptior est, quam ut structura pateat, reliquis tribus (X, 72; XV, 13; XXV, 3) infinitivus coniunctionem sequitur.

[1]) Prause, l. l. pp. 5, 13, 22, 30.

[2]) Foerster, lib. alt. p. 2.

[3]) Wagner, l. p. 37. Sed cf. Warren l. p. 74, quae duo modo exempla affirmativa esse putat. (VII, 39, 2; 71, 5).

[4]) Cf. Sturm de singulis scriptoribus. Gildersleeve, l. l. p. 479.

[5]) Sed cf. de hoc loco infra p. 25.

[6]) Sed cf. Hitzig, edit. I, 2, p. 695: „post *Λευκιππίδες* lacunam indicavi, cum *αἱ Διονυσιάδες καὶ αἱ Λευκιππίδες* nimis nude positae esse videantur et verba *τὰς δὲ ἄλλας*, quo referantur, non habeant.“

etiam IX, 26, 2: . . . φασὶν αὐτὴν (sc. Σφίγγα) ἐς τὴν πρὸς Ἀνθηδόνι σχεῖν θάλασσαν, καταλαβοῦσαν δὲ τὸ ὄρος τοῦτο ἁρπαγαῖς χρῆσθαι, πρὶν ἐξεῖλεν Οἰδίπους αὐτήν. Nam infinitivus χρῆσθαι, ad quem enuntiatio subordinata pertinet, quasi praesentis historici vim hoc loco in se gerit.

Qui usus non alius est atque antiquorum: et apud Herodotum et apud Atticos hac in structura utriusque sententiae actiones ad tempus praeteritum referuntur.[1])

Enuntiatio primaria apud Pausaniam aut negativa aut affirmativa est. Enuntiato a πρὶν ἤ incipienti negativa apodosis antecedit I, 1, 2; 34, 1; II, 20, 1; IV, 12, 6; X, 4, 3; 22, 11; affirmativa I, 3, 2; 28, 10 (?); II, 3, 7; V, 21, 5; VI, 21, 3; VII, 24, 13. Πρίν coniunctione cum indicativo sequente enuntiatio primaria negativa VI, 5, 6, affirmativa VII, 16, 3 et IX, 26, 2 est. Πρίν nuda particula indicativum regens non exstat nisi uno loco IX, 26, 2; in reliquis duobus exemplis (VI, 5, 6 et VII, 16, 3) cum γε δή particulis coniuncta est.[2])

Sed accuratius structuram inquirere oportet. Ac primum quidem ad eam accedamus, in qua enuntiatum absolutum negativum est, quippe quam et Herodotus et Attici adhibuerint. Herodotum inter πρίν γε δή et πρὶν ἤ particulas adhibendas discrevisse Foerster lib. alt. p. 2 docuit: „Discrimen hoc est, ut in priore structura, quum enuntiatio primaria imperfecto comprehensa dignitatem secundariam habeat, actionis progressus enuntiato a particulis πρίν γε δή incipienti contineatur, ut apte in vernacula lingua coniunctio „bis" adhiberi possit. Quod in altero exemplorum genere contra est. Hic enim enuntiatio primaria quippe quae indicativum aoristi habeat, ut forma, ita sensu principem locum tenet." — Sed ut apud Herodotum in enuntiato πρὶν ἤ particulam sequente, quod πρίν nondum plane adverbii vim exuit, temporis notio praevalet, ita apud Atticos enuntiato a πρίν particula pendente hic sensus inest: actio enuntiati primarii ex eo temporis momento iam non impedita est, quo actio enuntiati subordinati perfecta (aut

[1]) Cf. Sturm, l. l. pp. 85, 92, 103, 116, 139. — Brackett l. p. 228/29. — — Warren l. p. 64. — Gildersleeve, p. 478 sq.

[2]) *Πρίν* coniunctionem cum γε δή particulis coniunctam apud Herodotum et Thucydidem invenimus. Cf. Foerster lib. alt. p. 2. Sturm l. pp. 85, 92.

ingressa est.[1]) Quam ob rem in enuntiato secundario indicativus aoristi exspectatur. Actio ergo enuntiati subordinati superior est, qua non perfecta primarii quoque enuntiati actio fieri non potest.

Videamus nunc, qualis in hac structura Pausaniaę usus fuerit. Πρίν γε δή exstat VI, 5, 6, quem locum perspicuitatis causa totum profero: ἐς ἀγέλην ἐσελθὼν βοῶν, τὸν μέγιστον καὶ ἀγριώτατον ταῦρον λαβὼν τοῦ ἑτέρου τῶν ὄπισθεν ποδῶν τὰς χηλὰς κατεῖχεν (scl. Πουλυδάμας) ἄκρας, καὶ πηδῶντα καὶ ἐπειγόμενον οὐκ ἀνίει, πρίν γε δὴ ὁ ταῦρος ὀψέ ποτε καὶ ἐς ἅπαν ἀφικόμενος βίας ἀπέφυγεν ἀφεὶς ταύτῃ τῷ Πουλυδάμαντι τὰς χηλάς. Quod exemplum non differt ab ea ratione, quam Foerster apud Herodotum observavit. Ibi quoque progressus actionis enuntiato sudordinato continetur.

Ut πρὶν ἤ coniunctionis usus eruatur, proferendi sunt hi loci: primum I, 34, 1 τὴν δὲ γῆν τὴν Ὠρωπίαν . . . ἔχουσιν ἐφ' ἡμῶν Ἀθηναῖοι, πολεμήσαντες μὲν τὸν πάντα ὑπὲρ αὐτῆς χρόνον, κτησάμενοι δὲ οὐ πρότερον βεβαίως, πρὶν ἢ Φίλιππος Θήβας ἑλὼν ἔδωκέ σφισιν. „Tum demum (ex eo momento) Athenienses Oropiam tutam possederunt, cum Philippus eis Thebas dedit."

Deinde II, 20, 1: Λακεδαιμονίοις πολεμεῖν πρὸς Ἀργείους ἀρξαμένοις οὐδεμία ἦν ἔτι ἀπαλλαγή, πρὶν ἢ Φίλιππος σφᾶς ἠνάγκασεν ὁ Ἀμύντου μένειν ἐπὶ τοῖς καθεστηκόσιν ἐξ ἀρχῆς ὅροις τῆς χώρας. — ἀπαλλαγή ea demum re facta est, quod Philippus Lacedaemonios suis finibus se tenere coegit.

Tum IV, 12, 6: οὐ πρότερον ἔδοξεν (scl. Λυκίσκος) ἀληθῆ λέγειν, πρὶν ἢ παρῆλθεν ἐς τὸ θέατρον ἡ τὴν ἱεροσύνην τότε τῆς Ἥρας ἔχουσα. Ex eo momento, cum Iunonis sacerdos eum adiuvit, Lycisco confisi sunt.

Tum X, 4, 3: τὸ ἕτερον οὐκ ἐδυνήθην συμβαλέσθαι πρότερον ἐφ' ὅτῳ καλλίχορον τὸν Πανοπέα εἴρηκε, πρὶν ἢ ἐδιδάχθην ὑπὸ τῶν παρ' Ἀθηναίοις καλουμένων Θυιάδων. Ex eo momento demum comprehendere potuit, cum ea re instructus est.

Quibus omnibus locis Pausanias ab Atticorum usu non recedit. Idem usus ab Aeliano quoque, aequali Pausaniae, in hac structura observatus est.[2])

[1]) Thouvenin l. p. 610.

[2]) Thouvenin l. p. 611.

At Herodoti rationi dicendi non dissimilis est locus X, 22, 11: οὐ πρότερον ἔσχοντο αἴσθησιν πρὶν ἢ πλησίον ἐγεγόνεσαν.[1]) Ubi actio enuntiati subordinati non tanta dignitate est, quanta reliquis locis erat, et magis temporis notioni inservit. Hoc uno loco in enuntiato subordinato plusquamperfectum, quod imperfecti locum tenet, non aoristus exstat.

Temporis merae determinationi inservit enuntiatum subordinatum loco I, 1, 2: ὁ δὲ Πειραιεὺς δῆμος μὲν ἦν ἐκ παλαιοῦ, πρότερον δὲ πρὶν[2]) ἢ Θεμιστοκλῆς Ἀθηναίοις ἦρξεν, ἐπίνειον οὐκ ἦν. Ante Themistoclis dominationem Piraeus ἐπίνειον non erat. Ergo ut apud Herodotum enuntiatio primaria principem locum tenet.

Venimus nunc ad eam structuram, in qua enuntiatio primaria affirmativa est. Enuntiatum absolutum et subordinatum inter se ita respondent, ut actio enuntiati primarii usque ad id temporis momentum duret, quo actio enuntiati subordinati evenit. Itaque in nostram linguam translata coniunctio significationem „bis“ accipit.

Hac quoque condicione indicativum aoristi a coniunctione pendentem exspectamus; quem Pausanias omnibus locis adhibuit. Proferamus locum I, 3, 2: κεχώρηκε δὲ φήμη, ὡς Θησεὺς παραδοίη τὰ πράγματα τῷ δήμῳ, καὶ ὡς ἐξ ἐκείνου δημοκρατούμενοι διαμείναιεν, πρὶν ἢ Πεισίστρατος ἐτυράννησεν ἐπαναστάς. „Usque ad id momentum temporis libera re publica utebantur, quo Pisistratus, cum rerum potitus est, finem democratiae fecit.“ — Quia actio enuntiationis primariae aliquamdiu durat, reliquis omnibus fere locis imperfectum adhibitum est, velut II, 3, 7: τὰ τέκνα . . . ἐφθείρετο, πρὶν ἢ χρήσαντος τοῦ θεοῦ θυσίαι τε αὐτοῖς ἐπέτειοι κατέστησαν καὶ δεῖμα ἐπεστάθη. Nec aliter se habent loci V, 21, 5; VI, 21, 3; VII, 24, 13. Atque eadem ratione uno loco IX, 26, 2 πρίν solam particulam Periegeta adhibuit: φασὶν . . . (sc. Σφίγγα) ἁρπαγαῖς χρῆσθαι, πρὶν ἐξεῖλεν Οἰδίπους αὐτήν.

Quibus ab exemplis non multum differt VII, 16, 3, ubi πρίν coniunctio cum γε δή particulis coniuncta exstat: ἀντεῖχον ὑπὸ

[1]) Cf. Herod. VIII, 8: οὐ πρότερον ἀνέσχε πρὶν ἢ ἀπίκετο ἐπὶ τὸ Ἀρτεμίσιον.

[2]) Codd. Va M Mo omiserunt πρίν.

τοῦ θυμοῦ, πρίν γε δὴ Ῥωμαίων λογάδες χίλιοι . . . ἐς τελέαν τοὺς Ἀχαιοὺς φυγὴν κατέστησαν. Enuntiato subordinato absoluti fere enuntiati vim inesse apparet; nam sensus hic est: aliquamdiu impetum hostium sustinebant, tum victi et fugati sunt. — Postremo inquiramus locum I, 28, 10, quem plerique codices ita tradunt: πρότερον δὲ πρὶν ἢ Θησεὺς ἀφείθη, καθειστήκει πᾶσι φεύγειν κτείναντα ἢ κατὰ ταὐτὰ θνήσκειν μένοντα. Iam supra[1]) vidimus πρότερον particulam in sententia affirmativa apud Pausaniam non exstare, si a πρὶν ἤ coniunctione indicativus pendeat. Tum cum ceteris locis actio enuntiati primarii usque ad id momentum duret, quo actione alterius enuntiati finitur, hoc in exemplo temporis notio multo praevalet, (: ante Thesei causam). Itaque haud scio, an lectio melior sit codicum Pa[2]) Va M, in quibus πρίν deest.

b) De coniunctivo.

Pervenimus ad coniunctivum. Qui a πρίν particula sine ἄν iam apud Homerum et Hesiodum invenitur.[3]) Ἄν particulam primi poetae lyrici[4]) addiderunt, quem usum scriptores Attici plerumque observaverunt.[5]) Apud Herodotum[6]) coniunctivus aut a πρὶν ἄν particulis pendet aut a πρὶν ἤ coniunctione, quae nunquam cum ἄν vocula coniuncta est. Coniunctivus aoristi primo solus adhibitus est atque etiam postea principatum obtinuit[7]), quamquam Thucydides (primus), Xenophon, oratores Attici, Plato nonnusquam coniunctivo praesentis

[1]) p. 10.

[2]) Πρίν in margine a correctore demum additum est.

[3]) Foerster, lib. prior. p. 13 sq. Sturm, l. p. 25 et p. 48. Richter l. l. p. 44.

[4]) Sturm, l. l. p. 57; cf. huius dissertationis p. 20 not. 5.

[5]) Cf. Sturm de singulis scriptoribus.

[6]) Foerster, lib. alt. p. 3 sq. Sturm l. p. 80.

[7]) Apud Herodotum Brackettius semel (I, 197) coniunctivum praesentis invenit (ἐπείρηται), sed adnotat: „Observe that, according to the generally accepted opinion, ἐπείρομαι has no aorist in use in Jonic. It is pretty clear that the action of ἐπείρηται is here aoristic.“ — Apud Thucydidem semel coniunctivus praesentis, decies aoristi exstat, cf. Warren l. p. 74. De ceteris cf. Sturm pp. 93. 104, 118, 133.

usi sunt. Actio enuntiati primarii semper praesenti aut futuro tempore continetur; quam negativam esse necesse est, cum in ea structura haec condicionis vis insit: actio primarii enuntiati fieri non potest, nisi actio enuntiati subordinati perfecta est.

Videamus nunc, qua ratione Pausanias usus sit. Coniunctivus hac in structura 11 locis invenitur, 6 locis a πρὶν ἄν (I, 18, 4; 23, 10; V, 13, 4; 27, 4; VII, 27, 5; VIII, 16, 5), 5 locis a πρὶν ἤ (V, 14, 5; 16, 8; VII, 3, 10; 21, 3; IX, 13, 2) pendens. Ἄν addere πρὶν ἤ coniunctioni etiam Pausanias evitavit. Qui usus omnibus temporibus videtur valuisse, ut in Novo Testamento, quo duobus locis coniunctivus πρὶν ἤ coniunctionem sequitur (Luc. 2, 26; 22, 34), et apud Aelianum.[1]) — Actio enuntiati primarii uno loco V, 14, 5, de quo infra agetur, excepto negativa est et aut praesenti aut futuro tempore continetur.

Enuntiato a πρὶν ἄν pendenti antecedit indicativus praesentis I, 18, 4; V, 27, 4; VIII, 16, 5.[2]) Nonnusquam similiter atque apud Herodotum et Thucydidem apodosis ipsa a verbo pendet, cuius actio ad praeteritum tempus refertur, velut I, 23, 10: . . . ἐκπλεύσασθαι (sc. Φορμίων) οὐκ ἔφασκεν· ὀφείλειν τε γάρ καί οἱ, πρὶν ἂν ἐκτίσῃ, πρὸς τοὺς στρατιώτας οὐκ εἶναι παρέχεσθαι φρόνημα. Similis est locus V, 13, 4, quo apodosis per ὅτι inducta est. Praesenti tempore continetur actio enuntiati primarii etiam VII, 27, 5: οὐδὲ ἐς τὴν πολιτείαν ἐγγραφῆναι πρότερον καθέστηκεν οὐδενί, πρὶν ἂν ἐφηβεύσωσιν. Nam hoc loco Pausanias consuetudinem aliquam suae aetatis descripsit.

Enuntiationi πρὶν ἤ coniunctionem sequenti in apodosi indicativus praesentis antecedit V, 16, 8 et V, 14, 5, participium praesentis VII, 3, 10. Ad futurum tempus pertinet actio enuntiati primarii IX, 13, 2: Epaminondas aliique legati a Thebanis Spartam missi ab Agesilao rege interrogati sunt, εἰ κατὰ πόλιν ὀμνύναι Βοιωτοὺς ἐάσουσιν ὑπὲρ εἰρήνης. Tum ille: οὐ πρότερόν γε, εἶπεν, ὦ Σπαρτιᾶται, πρὶν ἢ καὶ τοὺς περιοίκους ὀμνύοντας κατὰ πόλιν ἴδωμεν τοὺς ὑμετέρους. Nam verbum enuntiati

[1]) Cf. Thouvenin l. pp. 606 et 609.
[2]) De quo loco cf. Hitzig, vol. III, 1, p. 35.

primarii, quamquam re vera non exstat, tamen ex antecedente sententia translatum cogitari non potest nisi ἐάσομεν. — A sententia, cuius actio ad praeteritum tempus refertur (ἔλεγεν), pendet infinitivus futuri VII, 21, 3.

In enuntiato subordinato apud Pausaniam non aliter atque omnibus temporibus coniunctivus aoristi principatum obtinet, quod significatione, quae huic structurae inest, postulatur: actio enuntiati primarii fieri non potest, nisi actio alterius enuntiati perfecta est. Quod ad demonstrandum profero locum V, 13, 4: προαγορεῦσαι [δὲ] αὐτοῖς τοὺς μάντεις, ὡς αἱρήσουσιν οὐ πρότερον τὴν πόλιν, πρὶν ἂν τὰ Ἡρακλέους τόξα καὶ ὀστοῦν ἐπαγάγωνται Πέλοπος = „eos urbem expugnaturos non esse, nisi ante arma Herculis et os Pelopis attulissent.“ Nec alia ratio est loco V, 27, 4. Exemplum in quo a πρὶν ἤ coniunctione coniunctivus pendet est V, 16, 8: οὐ πρότερον δρῶσι πρὶν ἢ χοίρῳ τε ἐπιτηδείῳ πρὸς καθαρμὸν καὶ ὕδατι ἀποκαθήρωνται = „Non (id) faciunt, nisi antea . . . aqua se purgaverunt“. Quibus exemplis inter se comparatis simul apparet Pausaniam inter πρὶν ἄν et πρὶν ἤ particulas cum coniunctivo coniunctas discrimen non fecisse.

Coniunctivus praesentis invenitur I, 18, 4: agitur de Serapidis templo, quod Memphide erat, sanctissimo: ἐς τοῦτο ἐσελθεῖν οὔτε ξένοις ἔστιν οὔτε τοῖς ἱερεῦσι, πρὶν ἂν τὸν Ἆπιν θάπτωσι. Cum omnibus ceteris locis praeter illum V, 14, 5, de quo mox agetur, coniunctivus aoristi a coniunctione pendeat, hic quoque coniunctivus θάπτωσι mihi quidem videtur mutandus esse in θάψωσι.

Priusquam coniunctivi usum relinquam, facere non possum quin pluribus tractem locum V, 14, 5. Pausanias postquam narravit Phidiae posteros ab Eleis id munus accepisse, ut Iovis Olympii statuam servarent et purgarent, pergit: οὗτοι θύουσιν ἐνταῦθα πρὶν ἢ λαμπρύνειν τὸ ἄγαλμα ἄρχωνται. Lectionem ἄρχωνται codices M Pac Lb Ag habent; ἄρχονται indicativus exstat in codicibus Vab La Pd R. Hitzigius locis V, 16, 8; VII, 21, 3; IX, 13, 2 collatis coniecturam Corais ἄρξωνται recepit. Videamus, quem eorum sequamur. Iam supra[1]) vidimus Pausaniam antecedente sententia affirmativa

[1]) P. 24.

indicativum cum πρὶν ἤ coniunctione coniunxisse, si hic sensus structurae inest: actio enuntiati primarii usque ad id temporis momentum durat, quo actio enuntiati subordinati evenit. Neque vero hic locus continet hunc sensum: usque ad id momentum sacrificant, cum statuam purgant. Itaque lectio codicum ἄρχονται, quam Spiro recepit, reicienda est. Neque coniunctivus hoc loco cum Pausaniae ratione dicendi consentit. Nam ut in ea structura, in qua coniunctivus a πρὶν ἤ vel πρὶν ἄν particulis pendet, condicionis vis invenitur, quam ob rem apodosis negativa est, ita in hoc exemplo enuntiatio primaria (affirmativa) maiore dignitate est; enuntiato subordinato modo determinatur, quando vel potius quotiens sacrificent. Itaque infinitivus exspectandus erat. Conferas X, 36, 2: νῦν δὲ πρότερον, πρὶν ἢ τὸ ζῷον κινηθῆναι, συλλέγουσι τῆς κόκκου τὸν καρπόν. Sed quamquam res ita se habet, lectionem ἄρχωνται reicere vereor; nam Pausanias ne in ceteris quidem structuris eandem rationem semper observavit; neque aequales eius inter singulas structuras tam accurate discreverunt. Ut exemplo utar, Aelianus quoque (V. H. 166, 1) coniunctivum post πρὶν ἤ coniunctionem adhibuit, quamquam enuntiatio primaria negatione caret et in sententia subordinata magis temporis quam condicionis vis inest. — Denique Corais coniectura (ἄρξωνται) examinetur. Coniunctivus praesentis in verbo ἄρχειν adhibendo non tam inauditus videtur esse, cum hoc verbum per se ipsum initium actionis exprimat. Eadem de causa Pausanias loco VII, 16, 2 infinitivo praesentis ἄρχειν usum esse iam supra[1]) commemoravimus. Itaque lectionem ἄρχωνται retinendam esse puto.

c) De optativo.

Restat ut inquiramus, qua ratione Pausanias optativo usus sit. Qui modus a πρίν particula pendens omnibus temporibus perraro adhibitus est. Invenitur in Homeri libris semel[2]), apud Hesiodum bis[3]), apud poetas lyricos non nisi apud

[1]) P. 19.

[2]) Foerster, lib. prior. p. 15. — Richter p. 49.

[3]) Sturm l. p. 48.

Theognidem semel[1]), apud Sophoclem quinquies, apud ceteros tragicos et comicos nunquam[2]). Herodotus item eo plane abstinuit[3]), Thucydides bis, Xenophon septies, oratorum Atticorum Isocrates bis, Antiphon semel usi sunt, septies apud Platonem[4]), apud Aristotelem[5]) nusquam exstat.

Apud quos enuntiati primarii actio semper negativa est et plerumque a sententia pendet, cuius actio ad praeteritum tempus refertur. Enuntiato subordinato aeque atque in coniunctivi structura condicionis vis inest.

Apud Pausaniam quoque optativus, atque is quidem semper aoristi, perraro (II, 5, 1; III, 5, 8; IV, 4, 1; V, 21, 5) in hac structura invenitur. Omnibus quattuor locis πρίν coniunctio cum ἤ coniuncta et enuntiatio primaria negativa est. Tribus locis enuntiatum primarium a verbo pendet, cuius actio ad praeteritum tempus refertur, velut II, 5, 1: (antecedit in priore sententia λέγουσιν) τοῦτον γὰρ εἰδότα, ὡς εἴη Ζεὺς ἡρπακὼς Αἴγιναν θυγατέρα Ἀσώπου, μὴ πρότερον φάναι ζητοῦντι μηνύσειν, πρὶν ἢ οἵ καὶ ἐν Ἀκροκορίνθῳ γένοιτο ὕδωρ. Quis non intellegit sensum enuntiati subordinati condicionalem esse (cf. VII, 21, 3)? — Nec aliter se habent loci IV, 5, 8 et **V, 21, 5**, quo ex loco apparet, quantopere Pausanias enuntiata a πρὶν (ἤ) coniunctione pendentia in deliciis habuerit; nam duas enuntiationes a πρὶν ἤ particula incipientes ita adhibuit, ut alteram in alteram inferret: Ἀπειπόντων δὲ Ἠλείων τὴν χάριν ἐχρῶντο ὑπεροψίᾳ τοιᾷδε ἐς αὐτοὺς οἱ Ἀθηναῖοι . . . , πρὶν ἤ σφισιν ὁ θεὸς ὁ ἐν Δελφοῖς οὐ πρότερον ἔφησεν ὑπὲρ οὐδενὸς χρήσειν πρὶν ἢ τὴν ζημίαν ἀποδοῖεν Ἠλείοις. — Omnibus tribus locis in apodosi infinitivus futuri exstat. — Uno loco VI, 4, 1 optativus a πρὶν ἤ coniunctione pendet oratione obliqua non adhibita. Ubi agitur de Sostrato pugile quodam, cui cognomen Ἀκροχερσίτης erat. Cur illud cognomen accepisset, Pausanias hisce verbis declaravit: [παρα]λαμβανόμενος γὰρ

[1]) Ibidem, p. 58, cf. h. diss. p. 20 not. 5.

[2]) Ibidem p. 60 et 61.

[3]) Foerster, lib. alt. p. 5. — Sturm p. 74. — Brackett l. p. 228—29.

[4]) Wagner l. p. 47. — Warren p. 64. — Lueth de singulis oratoribus. Gildersleeve p. 482. — Sturm pp. 95, 105, 120, 137.

[5]) Eucken, l. p. 7.

ἄκρων τοῦ ἀνταγωνιζομένου τῶν χειρῶν ἕκλα, καὶ οὐ πρότερον ἀνίει πρὶν ἢ αἴσθοιτο ἀπαγορεύσαντος. Quo loco actio enuntiati subordinati praeterito tempore repetita repraesentatur, quam ad rem optativus idoneus est. Condicionis vis hoc quoque loco in enuntiato a coniunctione pendente inest.

B. Πρότερον-ἤ.

Πρότερον-ἤ apud Pausaniam 13ies coniunctionis vim induit. Quae orationis solutae videtur fuisse. Primus adhibuit eam Herodotus (septies decies), apud quem coniunctionem aut infinitivus aut indicativus aut coniunctivus sequitur.[1] Apud Atticos rarior est: Thucydides septies eam adhibuit eadem ratione qua Herodotus.[2] Apud oratores Atticos, quorum in libris etiam rarius invenitur, solus infinitivus pendet a coniunctione uno excepto Antiphonte, Thucydidis magistro.[3] In libris Xenophontis πρότερον-ἤ particula non iam coniunctionis temporalis vim habet, sed merae comparationis notioni inservit.[4] Omnino non exstat in utroque Sacro Codice, apud Polybium Aristeamque.[5] At invenimus eam apud posteros, ut Philostratum secundum[6], Flavium Iosephum[7], Arrianum[8], Plutarchum[9], quin occurrit in epistulis Synesii.[10]

Videamus nunc, qualis Pausaniae usus fuerit. In apodosi (affirmativa) bis verbum cum πρό praepositione compositum adhibitum est semel infinitivo (IV, 26, 3: προ-εσήμαινεν), semel

[1]) Infinitivus novies, coniunctivus quinquies, indicativus ter particulam sequitur. Cf. Sturm, l. pp. 73 sq., 147. — Brackett, l. pp. 229 et 232.

[2]) Infinitivus quater, indicativus bis, coniunctivus semel a coniunctione pendet. Cf. Sturm, p. 97. — Warren, l. pp. 65 et 75.

[3]) Cf. Sturm, l. p. 123. — Diener, l. p. 70, not. 3.

[4]) Sturm, p. 107.

[5]) *Πρότερον* solum adverbium nonnusquam exstat, cf. Wendland, l. l. p. 212.

[6]) Cf. Schmid, l. l. IV, p. 86.

[7]) Velut Antiqu. Iud. 10, 2, 1, ubi coniunctivus sequitur particulam.

[8]) R. Grundmann, Quid in elocutione Arriani Herodoto debeatur, diss. Lips., Berol. 1884, p. 64.

[9]) velut Camill. 24 (c. inf.)

[10]) velut ep. 132 (ed. Hercher, Epistologr. Gr., p. 719): *οὐ πρότερον μὲν ἢ Κερεάλον ἄρχειν ἦσαν ἱπποτοξόται.*

indicativo (X, 15, 2: προ-εδήλωσεν) sequente.[1] A coniunctione pendet aut infinitivus aut indicativus, nunquam coniunctivus.

a) De infinitivo.

Infinitivus pendet a coniunctione 6 locis. Quibus omnibus actio enuntiati primarii affirmativa est et ad praeteritum tempus[2] refertur. Indicativus aoristi exstat X, 1, 3; 14, 6; 32, 10, imperfecti IV, 26, 3 vel plusquamperfecti VII, 20, 4 (πεποιημένα ἦν). Accedit locus VII, 27, 2: Φειδίαν δὲ εἶναι τὸν εἰργασμένον φασί, πρότερον ἔτι ἢ ἐν τῇ ἀκροπόλει τε αὐτὸν τῇ Ἀθηναίων καὶ ἐν Πλαταιαῖς ποιῆσαι τῆς Ἀθηνᾶς τὰ ἀγάλματα. Nam participio εἰργασμένον praeteriti vis inest.

Infinitivus a πρότερον-ἤ particula pendens semper aoristi est. 4 locis enuntiatum subordinatum merae temporis notioni inservit, ut X, 1, 3: καὶ Θεσσαλῶν ἐναντία ἐπολέμησαν πρότερον ἔτι ἢ ἐλάσαι τὸν Μῆδον ἐπὶ Ἕλληνας: „Bellum gesserunt ante Medi in Graeciam invasionem". Nec aliter se res habet loco VII, 20, 4. Digni vero sunt qui in medium proferantur loci IV, 26, 3: Ἐνιαυτῷ δὲ πρότερον ἢ κατορθῶσαι Θηβαίους τὰ ἐν Λεύκτροις, προεσήμαινεν ὁ δαίμων Μεσσηνίοις τὴν ἐς Πελοπόννησον κάθοδον et X, 32, 10: γενεᾷ δὲ ἢ με γενέσθαι μιᾷ πρότερον ἐς τὸ χεῖρον ἔτρεψεν ὁ δαίμων τὰ ἐν τῇ Τιθορέᾳ. Quibus mera temporis determinatio apertissima est, quod id spatium quod inter utriusque sententiae actiones est certis finibus includitur (IV, 26, 3: ἐνιαυτῷ; X, 32, 10: γενεᾷ μιᾷ). Loco X, 32, 10 collocatio vocabulorum inusitata est: πρότερον particula ab ἤ vocula compluribus vocabulis seiuncta post enuntiatum subordinatum est posita.

Reliquis duobus locis (VII, 27, 2 et X, 14, 6) id unum expressum est actionem alterius enuntiati prius accidisse quam alterius. Satis est protulisse alterum X, 14, 6: Pausanias narrat Themistoclem, qui pugna Salaminia commissa Delphos venisset, ut Apollini partem praedae dedicaret, a Pythia im-

[1]) Quem usum Herodotus quoque exhibet, cf. VI, 91 (φθάνω) et II, 11 (προ-αναισιμωμένῳ), Brackett, l. p. 217.

[2]) Apud Herodotum quoque enuntiatum primarium semper ad praeteritum tempus refertur, cf. Sturm, l. p. 147.

peditum esse, quominus hanc in templo collocaret. De causis huius facti, quod eo mirabilius erat, quia deus praedam eiusdem pugnae a ceteris Graecis dedicatam acceperat, duae opiniones erant: καὶ οἱ μὲν ἀπώσασθαι ἂν τὸν θεὸν καὶ ἅπαντα ὁμοίως ἡγοῦντο ὅσα ἀπὸ τοῦ Πέρσου, εἰ ὥσπερ ὁ Θεμιστοκλῆς καὶ οἱ ἄλλοι πρότερον ἢ ἀναθεῖναι σφᾶς ἐπήροντο τὸν Ἀπόλλωνα: „Ceteri quoque Graeci a deo repulsi essent, si, priusquam praedam deponerent, deum interrogavissent."

b) De indicativo.

Indicativum a πρότερον-ἤ formula pendentem 7 locis invenimus. Quibus addere non dubito locum I, 30, 3, quo non adverbium πρότερον, sed adiectivum πρότερος cum ἤ vocula coniunctum est: Σωκράτης τῇ προτέρᾳ νυκτὶ ἢ Πλάτων ἔμελλεν ἔσεσθαί οἱ μαθητής . . . εἶδεν ὄνειρον.

His quoque omnibus locis actio apodoseos affirmativa est et praeterito tempore continetur. Exstat aoristi indicativus I, 30, 3; VII, 2, 2; X, 15, 2, participium I, 31, 5 (ἀνδρὸς ἄρξαντος); I, 26, 6 (νομισθέν)[1]) indicativus imperfecti IX, 3, 2, plusquamperfecti VII, 20, 6 (ἐξείργαστο), infinitivus οἴχεσθαι V, 21, 18.

Item actio enuntiati subordinati semper ad praeteritum tempus refertur; principatum obtinet indicativus aoristi, qui exstat I, 26, 6; 31, 5; VII, 2, 2; IX, 3, 2; X, 15, 2. Bis indicativus imperfecti invenitur: I, 30, 3 (πρότερον ἢ ἔμελλεν ἔσεσθαι) et V, 21, 18 (πρότερον ἢ ἐσκληθήσεσθαι ἔμελλεν), plusquamperfecti VII, 20, 6 ἐμοὶ δὲ ἐν τῇ Ἀτθίδι συγγραφῇ τὸ ἐς τοῦτο παρείθη τὸ ᾠδεῖον, ὅτι πρότερον ἔτι ἐξείργαστό μοι τὰ ἐς Ἀθηναίους ἢ ὑπῆρκτο Ἡρώδης τοῦ οἰκοδομήματος. Qua in re Pausanias longius processit quam Herodotus et Thucydides, apud quos coniunctionem aut aoristi aut imperfecti indicativus sequitur.[2]) Enuntiatum subordinatum merae temporis notioni inservit. Quod apparet vel ex hoc exemplo I, 31, 5: ἔστι δὲ ὁ Κόλαινος ἀνδρὸς ὄνομα πρότερον ἢ Κέκροψ ἐβασίλευσεν, ὡς οἱ Μυρρινούσιοι λέγουσιν, ἄρξαντος. Ubi enuntiato a coniunctione pendente expressum est, quibus temporibus Colaenus regnavisset

[1]) De hoc loco cf. infra p. 33.

[2]) Cf. Brackett, p. 229. — Warren, p. 75.

(ante Cecropis regnum). Simillimi sunt loci VII, 20, 6 et IX, 3, 2. Mera temporis determinatio etiam clarius apparet eis locis quibus substantivo cum adiectivo numerali coniuncto spatium quod inter actiones utriusque sententiae est determinatur[1]), velut VII, 2, 2: γενεᾷ δὲ μιᾷ πρότερον ἢ ἐξέπλευσαν ἐξ Ἀθηνῶν Ἴωνες Λακεδαιμονίους τε καὶ Μινύας . . . Θήρας ὁ Αὐτεσίωνος Θηβαῖος ἤγαγεν ἐς τὴν νῆσον. Nec aliter se habent loci V, 21, 18 (ἡμέρᾳ μιᾷ πρότερον ἤ) et X, 15, 2 (γενεᾷ πρότερον ἤ). Itaque loco I, 26, 6 coniecturam Loescheri et Kuhnii recipere cum Hitzigio non dubito: τὸ δὲ ἁγιώτατον ἐν κοινῷ πολλοῖς πρότερον νομισθὲν ἔτεσιν ἢ συνῆλθον ἀπὸ τῶν δήμων, ἐστὶν Ἀθηνᾶς ἄγαλμα ἐν τῇ νῦν ἀκροπόλει.[2]) Ubi spatium intermissum aeque ac locis VII, 2, 2; V, 21, 18; X, 15, 2 vocabulis πολλοῖς ἔτεσιν determinatur. Wieseleri coniectura πρότερον νομισθὲν ἔτεσι πρὶν ἢ συνῆλθον Pausaniae rationi dicendi repugnat.

Priusquam autem hanc quaestionis partem concludam, obiter de collocatione particularum πρότερον et ἤ nonnulla dicenda sunt. Herodotum has particulas seiungere solitum esse Sturmius l. p. 46 observavit. Non idem est usus Pausaniae, apud quem plurimis locis πρότερον et ἤ particulae continenter exstant (I, 31, 5; IV, 26, 3; V, 21, 18; VII, 2, 2; 20, 4; X, 14, 6; 15, 2), ter particula ἔτι intermissa est (VII, 27, 2; IX, 3, 2; X, 1, 3), compluribus vocabulis seiunctae sunt I, 26, 6; VII, 20, 6. Locum X, 32, 10 ob inusitatam particulae πρότερον collocationem iam supra in medium protulimus.[3])

C. ὕστερον-ἤ.

Ὕστερον-ἤ particula 5 modo locis invenitur, quibus actio enuntiati primarii, quod semper subordinato antecedit, affirmativa est et praeterito tempore continetur. Adhibitus est aoristi indicativus I, 17, 6; VIII, 27, 8; X, 7, 7, participium I, 23, 3 (ἀφικομένους) et V, 16, 1 (εἰσὶν οἱ κατασκευασάμενοι τὸν ναόν).

[1]) Cf. p. 31.

[2]) *ἔτεσι συνῆλθον* codd AXKF *ἔτεσιν συνῆλθον* codd Mo Pd.

[3]) P. 31.

Enuntiatum subordinatum, in quo semper indicativus aoristi invenitur[1]), tempori determinando inservit, velut I, 17, 6: ὁ μὲν δὴ Θησέως σηκὸς Ἀθηναίοις ἐγένετο ὕστερον ἢ Μῆδοι Μαραθῶνι ἔσχον, Κίμωνος τοῦ Μιλτιάδου Σκυρίους ποιήσαντος ἀναστάτους, δίκην δὴ τοῦ Θησέως θανάτου, καὶ τὰ ὀστᾶ κομίσαντος ἐς Ἀθήνας. Enuntiato ab ὕστερον-ἢ pendente determinatur, quando Thesei templum aedificatum sit: „post invasionem Persarum". Tribus locis aeque atque in πρότερον-ἢ formula spatium temporis, quod inter utriusque enuntiati actiones est, accuratius designatum est: V, 16, 1: λέγεται δὲ ὑπὸ Ἠλείων, ὡς Σκιλλούντιοι τῶν ἐν τῇ Τριφυλίᾳ πόλεων εἰσιν οἱ κατασκευασάμενοι τὸν ναὸν ὀκτὼ μάλιστα ἔτεσιν ὕστερον ἢ τὴν βασιλείαν τὴν ἐν Ἤλιδι ἐκτήσατο Ὄξυλος. Reliqui duo loci sunt: VIII, 27, 8: ἐνιαυτῷ τε τῷ αὐτῷ καὶ μησίν [τε] ὀλίγοις ὕστερον ἢ et X, 7, 7 ὀλυμπιάσιν ὕστερον πέντε ἤ.

Particulae ὕστερον et ἢ non seiunctae sunt nisi uno loco X, 7, 7.

Pars II.

De coniunctionibus quae significant „postquam, cum, ex quo."

Perventum est ad secundam dissertationis partem, in qua praecipue illae coniunctiones tractandae sunt quae respondent nostris „nachdem, als". Exstant apud Pausaniam hac significatione particulae ὡς, ἐπεί, ἐπειδή, ἡνίκα, ὅτε.[2]) Simul cum his particulis eas structuras tractabimus in quibus aut nonnullae harum particularum cum ἄν particula in unam concrescentes (ἐπάν, ἐπειδάν) aut ὁπότε coniunctio actioni iteratae designandae inserviunt. Accedunt ad illas particulas formulae ἀφ' οὗ, ἐξ οὗ, ἐξ ὅτου, quae locum coniunctionum tenent.

De his omnibus coniunctionibus nondum tam accurate actum est, quam de πρίν particula, atque inprimis adhuc desunt dissertationes quibus demonstretur, qualis usus earum

---

[1]) Apud Thucydidem semel infinitivus ab ὕστερον-ἢ formula pendet (VI, 4, 3), cf. Sturm, l. p. 75 et Warren, l. p. 75.

[2]) Particula ὕστερον-ἢ iam supra p. 33 tractata est.

per saeculorum seriem fuerit. Itaque hoc in capite id unum spectavi, ut usum solum Pausaniae investigarem et obiter cum usu Herodoti et Thucydidis conferrem, quorum Periegetam studiosum fuisse constat.[1])

A. ὡς.

Ac primum quidem ad ὡς coniunctionem accedamus.[2]) Difficillimum est diiudicare, utrum huic particulae temporalis an causalis vis insit, praesertim cum illae duae significationes saepe inter se mixtae sint. Soli causae notioni particula — mea quidem sententia — his locis inservit: I, 12, 2; 17, 3; 36, 6; II, 25, 7; 26, 5a[3]); III, 4, 2; 12, 2; 24, 2; IV, 2, 2; 9, 7; 11, 2; 15, 1; 23, 2; 27, 5b; V, 2, 2b; VI, 8, 4; 22. 9a; VII, 12, 1; 14, 5; 17, 11b; 21, 2; 21, 3; VIII, 5, 12a; 24, 8; IX, 3, 1; 10, 5; 13, 12; 14, 5; 15, 2; 25, 2; 32, 8[4]); X, 18, 1; 18, 5; 19, 7, quam ob rem hoc loco tractandi non sunt. Aliis locis, ut II, 8, 6; 26, 5; III, 22, 12; IV, 4, 8b; V, 8, 4; IX, 5, 9; 14, 2 vis temporalis praevalet, ut in numero enuntiatorum temporalium haberi possint et habeantur. Ὡς coniunctio temporalis 292 locis invenitur.[5]) Coniunctio bis cum τάχιστα (IV, 9, 4; 12, 9)[6]), semel cum ἅπαξ (IV, 27, 3), 13ies cum δή particula (I, 10, 4; II, 34, 7; III, 4, 5; 9, 7; 15, 6; 17, 8; V, 11, 9; VIII, 11, 2; 12, 8; 40, 2; 41, 2; 51, 5; X, 1, 11) coniuncta est, ceteris locis nuda exstat. — Enuntiatum a coniunctione pendens aut enuntiato absoluto antecedere aut in id immitti solet, perpaucis locis (I, 18, 2; 23, 9; 28, 9; IV, 9, 6; 36, 6; VII, 10, 5; IX, 1, 7; 5, 10; 14, 7; 20, 5) succedit.

In apodosi saepe particulae quae referuntur ad coniunctionem inveniuntur, ut

---

[1]) Cf. Pfundtner l. l. et Fischbach, Wien. Stud. vol. XV, pp. 161—191.

[2]) De Thucydidis usu praeter Winifredam Warren egit Th. Wisén, De vi et usu particulae ὡς apud Thucydidem commentatio, Diss. Lund. Hauniae 1862.

[3]) Si in una paragrapho complura exempla exstant, haec minusculis a, b, c additis discrevi.

[4]) Quo uno loco vis causalis apparet e vocibus τούτων ἕνεκα in apodosi positis.

[5]) Herodotus et Thucydides quoque hanc coniunctionem persaepe adhibuerunt, ille 510ies (Brackett, p. 232), hic 240ies (Warren, p. 75, 76).

[6]) Similiter Polybius formulam ὡς θᾶττον adhibuit, cf. Brief, p. 13.

ἐνταῦθα (I, 4, 1; 4, 4; 22, 5: II, 6, 2ª; 6, 3; 20, 9; 28, 4; III, 4, 2; 15, 4; IV, 4, 8; 17, 7; 36, 6; V, 2, 2ª; 20, 8; VII, 12, 3; 16, 9; 18, 3; VIII, 53, 2; IX, 5, 14; 13, 9; 13, 10; 37, 3; 40, 2; X, 1, 4, 1, 9; 6, 6; 22, 6).
τότε (I, 8, 3; 13, 1ª; II, 29, 10; III, 1, 2; 19, 10; IV, 6, 6; 16, 1; 19, 6; 22, 2; 24, 4; 27, 3ᶜ; VII, 2, 6; 15, 3; 15, 11; IX, 14, 2; 15, 5),
αὐτίκα (II, 2, 7; 9, 7; 23, 1; III, 4, 1; 9, 8; VI, 11, 13; VII, 14, 2; 16, 3; VIII, 11, 2; IX, 9, 5; 23, 4),
παραυτίκα (III, 23, 5; IV, 17, 6),
οὕτω(ς) (V, 16, 5; IX, 5, 9; 13, 5; 14, 1),
τηνικαῦτα (VIII, 27, 9),
τέλος (II, 9, 3),
ἔνθα δή (VII, 10, 9),
ἤδη (I, 21, 2; 28, 9; X, 20, 6),
ὕστερον (I, 27, 5ª; IV, 2, 2),
μετ' οὐ πολύ (IV, 9, 4),
οὐ πολὺ ὕστερον (II, 33, 4).

Nonnusquam duae harum particularum una in apodosi exstant, ut IV, 16, 7: τότε et αὐτίκα, aut IX, 14, 4: τότε et παραυτίκα. Etiam χρόνος vox adhibita est, ut III, 19, 13 (χρόνῳ δὲ ὡς κτλ.); VI, 11, 6ᵇ (ἀνὰ χρόνον δὲ ὡς κτλ.); X, 19, 4 (χρόνου δὲ ὡς ὁ ναὸς ἐποιεῖτο ἐγγινομένου).

Dignus est qui proferatur locus IV, 17, 7: ὡς δὲ οἱ Λακεδαιμόνιοι συνέμισγον καὶ ἦσαν ἐς τὸ κατ' αὐτοὺς οἱ Μεσσήνιοι τετραμμένοι, ἐνταῦθα 'Αριστοκράτης ἀρχομένης τῆς μάχης ἀπῆγε τοὺς 'Αρκάδας. Ubi Pausanias verba ἀρχομένης τῆς μάχης, quibus idem sensus inest atque verbis ὡς-συνέμισγον, adhibuit, quo magis ostenderet perfidiam Aristocratis, qui non in pugna fugisset, sed ipso initio proelii Arcades abduxit.

Inquiramus nunc, quales actiones horum enuntiatorum sint. In Herodoti libris a coniunctione ὡς pendet praecipue indicativus, etiam infinitivus, coniunctivus, optativus[1]), in Thucydidis libris solus indicativus.[2]) Apud utrumque actionem enuntiati subordinati semper apodoseos actioni antecedere

[1]) Brackett, p. 229 sq., 232.
[2]) Warren, pp. 65, 66, 75, 76.

Winifreda Warren et Brackettius contenderunt.[1]) Quae res digna est de qua nonnulla verba fiant. Discernunt illi „pure and partial antecedence". „Partial antecedence" eis structuris inesse putant in quibus actio enuntiati subordinati ante coepta etiam tum durat, cum apodoseos actio fit; velut Thuc. III, 108, 1: ὡς δ' ἐν χερσὶν ἤδη ὄντες περιέσχον τῷ κέρᾳ οἱ Πελοποννήσιοι καὶ ἐκυκλοῦντο τὸ δεξιὸν τῶν ἐναντίων, οἱ ἐκ τῆς ἐνέδρας 'Ακαρνᾶνες ἐπιγενόμενοι αὐτοῖς κατὰ νώτου προσπίπτουσί τε καὶ τρέπουσιν. Concedendum est actionem includendi iam coeptam esse, priusquam actio προσπίπτουσι fieret.[2]) At mea quidem sententia ut in hoc exemplo ita in ceteris talibus structuris magis interest eas duas actiones etiam eodem tempore fieri quam alteram prius coeptam esse.

Quae cum ita sint, in hac dissertatione talium structurarum actiones quasi eodem tempore factae tractatae sunt.

Pausanias post ὡς particulam semper indicativum adhibuit duobus locis exceptis quibus, ut in oratione indirecta, infinitivus sequitur. VIII, 53, 2: ὡς δὲ ἄρα καὶ ἐς τὴν Τεγεατῶν ἐληλυθέναι τοὺς θεούς, ἐνταῦθα υἱὸν Τεγεάτου Σκέφρον προσελθόντα τῷ 'Απόλλωνι ἐν ἀπορρήτῳ διαλέγεσθαι πρὸς αὐτόν.

X, 4, 6: ὡς δὲ αὖθις ἐπανήκειν ἐς τὰ Γάδειρα, ἄνδρα εὑρεῖν θαλάσσιον ἐκπεπτωκότα ἐς τὴν γῆν.

[1]) Brackett, p. 213. Warren, pp. 46—49.
[2]) Ceterum hac re concessa dubito, num omnibus locis actio enuntiati ab ὡς particula pendentis antecedat, cf. Thuc. II, 92, 3: *ἐπὶ δὲ τῆς Λευκαδίας νεώς, ἣ περὶ τὴν ὁλκάδα κατέδυ, Τιμοκράτης ὁ Λακεδαιμόνιος πλέων, ὡς ἡ ναῦς διεφθείρετο, ἔσφαξεν ἑαυτόν.* Ubi naufragium coeptum est, priusquam Timocrates manus sibi intulit, at durat etiam tum, cum illa actio confecta est. Exstat ergo illa structura, quam Winifreda Warren ipsa „insertion" appellavit. — Locus II, 21, 3, quem W. Warren in numero enuntiatorum temporalium habuit, mihi merae causae notioni videtur inservire. Thucydides antea dixerat Lacedaemonios usque ad Acharnas processisse, *οἵ τε 'Αχαρνῆς οἰόμενοι παρὰ σφίσιν αὐτοῖς οὐκ ἐλαχίστην μοῖραν εἶναι 'Αθηναίων, ὡς αὐτῶν ἡ γῆ ἐτέμνετο, ἐνῆγον τὴν ἔξοδον μάλιστα.* Acharnenses suaserunt et admonuerunt, ut hostibus obviam iretur, quod fines eorum vastabantur. Ut ex Herodoti libris exemplum afferam, III, 85: *ὡς ἐγίνετο ἡ νύξ, τῶν θηλέων ἵππων μίαν . . . ἀγαγὼν ἐς τὸ προάστειον κατέδησε καὶ ἐπήγαγε τὸν Δαρείου ἵππον.* Ego quidem actiones eodem tempore fieri puto („Bei Anbruch der Nacht.")

His duobus locis actio enuntiationis secundariae antecedit actioni primariae. Oratione obliqua effectum est, ut in enuntiato subordinato aeque atque in absoluto accusativus cum infinitivo (vel infinitivus) adhiberetur. Quae modorum attractio insolita, ut non exstat apud Thucydidem, Xenophontem, Polybium[1]), ita ab Herodoto adhibita est, velut I, 86: ὡς δὲ ἄρα μιν προσστῆναι τοῦτο, ἀνενεικάμενόν τε καὶ ἀναστενάξαντα ἐκ πολλῆς ἡσυχίης ἐς τρὶς ὀνομάσαι „Σόλων“. Quae cum ita sint, Pausaniam, qui Herodoti studiosissimus fuit, hanc quoque structuram ex eo sumpsisse censeo.

Si coniunctionem sequitur indicativus, actio subordinati enuntiati aut apodoseos actioni antecedit aut eodem tempore fit. Antecedit actioni apodoseos plerisque locis quibus a particula ὡς pendet indicativus aoristi. Qui aut ingressivus est, ut III, 4, 1: Κλεομένης δὲ ὡς ἐβασίλευσεν, αὐτίκα ἐσέβαλεν ἐς τὴν Ἀργολίδα: „als aber Kleomenes König geworden war“, aut effectivus, ut I, 13, 1: Τότε δὲ ὁ Πύρρος, ὡς ἡττήθη, ταῖς ναυσὶν ἐς Τάραντα ἀνήγετο ταῖς λοιπαῖς. Exstat 170 locis[2]): I, 1, 2; 4, 3; 8, 3; 8, 5; 9, 2; 9, 6; 10, 1; 10, 4; 11, 3; 11, 4; 13, 1[a et b 3]); 13, 6; 18, 2; 19, 4; 20, 6; 22, 5; 23, 3; 23, 6; 27, 5[a, b, c]; 27, 7; 27, 10; 30, 1; 39, 2; 41, 3; II, 1, 2; 2, 7; 6, 2[a]; 9, 4; 9, 7; 16, 3; 20, 2; 20, 8; 26, 4; 27, 4; 28, 4; 29, 2; 29, 10; 33, 4; 34, 7; 36, 4; III, 1, 2; 3, 4; 4, 1[a, b, c]; 4, 3; 4, 5; 5, 2; 5, 4; 5, 8; 6, 2; 9, 7; 9, 8; 9, 13; 10, 2; 15, 6; 19, 10; 19, 13; 21, 8; 26, 6; IV, 2, 4; 3, 3; 3, 8[b]; 4, 8[a]; 5, 9; 9, 4; 9, 6; 12, 10; 16, 1; 16, 4; 16, 7[a]; 17, 6; 18, 6; 18, 7; 20, 10; 22, 2[b]; 22, 7; 23, 5; 24, 1; 24, 4; 27, 3[a]; 27, 3[b] (ὡς ἅπαξ); 28, 1; 28, 6; 30, 3; 34, 9; 35, 5; 35, 6; V, 2, 2[a]; 3, 3; 16, 5; 16, 7; 20, 5; 21, 11; VI, 3, 15; 5, 7; 6, 9; 7, 5; 11, 3; 11, 6[a]; 14, 3; 22, 9[b]; VII, 2, 4; 2, 6; 5, 6; 7, 5; 10, 5; 10, 8; 14, 2; 14, 3; 15, 11; 16, 5; 16, 9; 17, 11; 18, 3; 19, 2; 21, 5;

[1]) Cf. Brief, l. l. p. 13.

[2]) Excepta sunt hoc loco ea exempla in quibus *γίνεσθαι* verbum particulam ὡς sequitur (quae infra tractabuntur) et ea in quibus complura verba a coniunctione pendent, quorum alterum aoristo, alterum alio tempore continetur.

[3]) Qua in paragrapho invenitur etiam tertium exemplum: *ὡς ἐπανήκων ἐκ Σικελίας ἡττήθη, πρῶτον διέπεμψε γράμματα κτλ.*, sed Hitzigium secutus, qui id ab interpolatore additum esse putat, ab hac quaestione exclusi.

VII, 22, 8; 24, 5; VIII, 3, 6; 4, 3; 5, 12[b]; 8, 7; 8, 9; 11, 2; 12, 3[a]; 15, 7; 34, 3; 39, 4; 41, 2; 42, 7; 49, 6; 51, 5; IX, 1, 7; 1, 8; 5, 6; 5, 9; 5, 10; 5, 13; 7, 3; 9, 2; 9, 5; 13, 7; 14, 4; 15, 5; 16, 7; 23, 4; 25, 10; 28, 2; 30, 5; 30, 6; 31, 8; 32, 7; 34, 2; 34, 3; 34, 10; 37, 5; X, 1, 5; 11, 2; 20, 6; 20, 9; 21, 1; 23, 6; 23, 13; 33, 10; 37, 8; 38, 2. Quibus locis addi potest IV, 16, 7: Τότε δὲ Ἀριστομένης ὡς ἐπανῆκεν ἐκ Βοιωτίας . . . , αὐτίκα ἔργων μειζόνων ἥπτετο. — Apodoseos actioni antecedit enuntiati subordinati actio ipsa (etiam) eis locis quibus plusquamperfectum a coniunctione pendet, etiamsi saepe status actione effectus durat, cum fit actio primariae sententiae, ut I, 27, 8: Θησέα δέ, ὡς ἕκτον καὶ δέκατον ἔτος ἐγεγόνει, . . . οἴχεσθαι τὴν παρακαταθήκην τὴν Αἰγέως φέροντα. — III, 6, 6: Ἀρεὺς δέ, ὥς σφισι τὰ ἐπιτήδεια ἐξανήλωτο, ἀπῆγεν ὀπίσω τὴν στρατιάν. Reliqui loci sunt IV, 27, 6 (ἐγεγόνει); V, 21, 17 (ἐγεγόνει); VI, 18, 5[a] (ἐγεγόνει); I, 16, 2 (προκεχωρήκει καὶ κατείργαστο); II, 8, 6 (προεκεχωρήκει); IV, 27, 5[a] (ἀνεύρητο); V, 11, 9 (ἐκτετελεσμένον ἦν); 18, 5[b] (ἦν μεμιμημένα); VII, 15, 9 (κατέστρωντο); VIII, 11, 7 (ἐτέτρωτο); IX, 13, 10 (ἐτεθνήκει); 37, 3 (συνείλεκτο). — Accedunt loci quibus aoristi et plusquamperfecti indicativi ab eadem particula pendent: IV, 29, 3: ὡς δὲ ἡμέρα τε ἐπέσχε καὶ ἤδη τοῖς ἔνδον αἴσθησις ἐγεγόνει τοῦ κατειληφότος κινδύνου, τὸ μὲν πρῶτον αὐτοὺς ἐσῆλθεν ὑπόνοια, et IX, 15, 4: ὡς δὲ βοιωταρχεῖν αὖθις ᾕρητο καὶ στρατῷ Βοιωτῶν ἀφίκετο αὖθις ἐς Πελοπόννησον, ἐκράτησε μὲν περὶ Λέχαιον Λακεδαιμονίους μάχῃ. Hoc numero habendus est etiam VIII, 50, 6: ὡς ἐξῆκέν οἱ στρατηγοῦντι ὁ χρόνος καὶ ἄρχειν ἄλλοι τῶν Ἀχαιῶν ᾕρηντο. αὖθις ἐς Κρήτην διέβη.

Nonnusquam imperfectum coniunctionem sequitur, quamquam actio subordinati enuntiati antecedit absoluti actioni. I, 23, 9: καί οἱ (sc. Thucydidi) δολοφονηθέντι, ὡς κατῄει, μνῆμά ἐστιν οὐ πόρρω πυλῶν Μελιτίδων. Apparet Thucydidem interfectum esse, cum Athenas revertisset; nam Athenis sepultus est. Quod non offendit; nam imperfecto verbi ἰέναι et imperfecti et aoristi vis inest.[1]) Eodem tempore continentur nonnullis locis verba sentiendi aut dicendi a particula ὡς pendentia, ut IV, 6, 6: οἱ δὲ Μεσσήνιοι τότε ὡς τὰ

[1]) Delbrück, Grundriß d. vergl. Gramm. d. indogerm Spr., IV, p. 69 sq.

περὶ τὴν Ἄμφειαν ἤκουον παρὰ τῶν ἀποσωθέντων ἐκ τῆς ἁλώσεως, συνελέγοντο ἐς Στενύκληρον ἀπὸ τῶν πόλεων itemque IV, 22, 2[a] (ᾐσθάνοντο); VII, 15, 3 (ἐπυνθάνετο); 15, 5 (ἀπηγγέλλετο); IX, 14, 1 (ἤκουε). Quibus locis aoristus exspectatur. At scriptor, quod iam in animo habuit id quod actione efficitur, imperfectum adhibuit: „Messenii, cum comperissent = cum scirent . . ., convenerunt.“ Quae structura in lingua Graeca non insolita[1]) etiam apud Herodotum Thucydidemque exstat.[2])

Natura duplici[3]) verborum κρατεῖν („vincere“ et „victorem esse = vicisse“) et φεύγειν („fugere“ et „in fuga esse = fugisse“) imperfectum declarari potest his locis: II, 20, 4: Περσέα δέ, ὡς ἐκράτει τῇ μάχῃ, φονεῦσαι τῶν γυναικῶν τὰς πολλάς („cum vicisset.“) — I, 32, 6: Ἡρακλῆς ὡς ἐκ Τίρυνθος ἔφευγεν Εὐρυσθέα, παρὰ Κήϋκα φίλον ὄντα μετοικίζεται „Hercules, cum Eurystheum fugisset, migravit ad Ceycem amicum“.

Actio enuntiati subordinati antecedit alterius actioni etiam II, 28, 5: Δηϊφόντης δὲ Κερύνην μὲν ὡς κατελάμβανεν, ἀναιρεῖ βαλών. Ubi actio occidendi tam celeriter subsequitur actionem assequendi, ut eodem fere tempore videantur fieri, quam ob rem imperfectum adhibitum est.

Altera condicio est, ut utriusque enuntiationis actiones eodem aut fere eodem tempore fiant. Qua in structura longe plurimis locis a coniunctione pendet imperfectum (58 locis). Verbi συνιέναι imperfectum exstat I, 4, 4; IV, 7, 5; IX, 13, 9; X, 1, 9, verbi προιέναι II, 23, 1[b]. Profertur locus I, 4, 4: ὡς δὲ ἐς χεῖρας συνῄεσαν, ἐνταῦθα κεραυνοί τε ἐφέροντο ἐς τοὺς Γαλάτας καὶ ἀπορραγεῖσαι πέτραι τοῦ Παρνασσοῦ, δείματά τε ἄνδρες ἐφίσταντο ὁπλῖται τοῖς βαρβάροις = Delphi, cum manus cum hostibus consererent, a deis heroibusque adiuti sunt. — Imperfectum ἦν invenimus I, 6, 8: ὡς ἦν οἱ πλησίον ἡ τελευτή, Πτολεμαῖον ἀπέλιπεν Αἰγύπτου βασιλεύειν, I, 21, 2; VII, 26, 2; IX, 13, 1. Reliqui loci, quibus imperfectum coniunctionem sequitur, hi sunt:

---

[1]) Cf. R. Kühner, Ausführl. Gramm. d. griech. Spr. II, 1³ (1898) p. 135, 137. C. Brugmann, Griech. Gramm.³ (München 1900) p. 486/87.

[2]) Brackett, p. 192, 193. Itaque dubito, num Brackettius Herod. III, 25 lectionem codicum ἤκουε iure correxerit in ἤκουσε.

[3]) Cf. Kühner, l. l. II, 1³ p. 136.

ἐκομίζετο: I, 31, 2; VIII, 12, 8.
ἐκομίζοντο: I, 29, 9; 39, 4; II, 23, 1[a]; III, 26, 10; IV, 36, 6; V, 13, 4; 22, 4; X, 22, 6.
ἤγετο: II, 6, 3; VIII, 48, 7.
ἀνήγετο: III, 23, 5.
ἀνήγοντο: I, 32, 3.
ἀντεπῆγε: VII, 16, 3; IX, 14, 5.
ὡρμᾶτο: I, 16, 1.
ἀφικνεῖτο: VII, 12, 3.
ἐστρατεύοντο: X, 1, 4.
ἐπεστράτευε: X, 6, 6.
διώδευον: X, 23, 11.
διέτριβε: III, 17, 8.
ἐκώλυεν: IX, 14, 7.
ἐφθείρετο: VIII, 42, 2,
ἐξείργοντο: IV, 18, 1.
ἠνωχλοῦντο: VIII, 53, 10.
ἡλίσκετο: I, 29, 12; II, 9, 3; IV, 34, 10; X, 22, 4.
ἐτελεύτα: I, 11, 2; III, 8, 1.
ἔμελλε τελευτᾶν: II, 6, 2[b]; IV, 35, 3;
προσεδοκᾶτο ἡ τελευτή: I, 14, 5.
παρίστατο ἡ τελευτή: IX, 5, 4.
ἔμελλεν ἄξεσθαι: I, 22, 2.
ἐπελάμβανεν: IV, 12, 9; 26, 7.
κατελάμβανεν: IV, 19, 6[b].
ἐδήλου: IV, 27, 3[c].
εὕρισκον: VI, 9, 7.
ἐφαίνετο: IX, 14, 2.
ἠλέγχετο: VII, 10, 9.
ἐμάχετο: VIII, 40, 2.
ἀπεδίδου: VI, 11, 6[b].
ἐποιεῖτο: X, 19, 4.
ἐδύναντο: IX, 40, 2.
ἐχρῶντο: IX, 38, 5.

Quibus exemplis addi possunt VIII, 12, 3[b]: ἀνακλαίοντος δὲ ὡς ἐξέκειτο τοῦ παιδός, κίσσα ἡ ὄρνις ἐπήκουέ τε ὀδυρομένου (in vernacula lingua: „als das Kind ausgesetzt dalag etc.“; X, 1, 11: ὡς γὰρ δὴ τὰ στρατόπεδα ἀντεκάθητο περὶ τὴν ἐς τὴν Φωκίδα ἐσβολήν, λογάδες Φωκέων πεντακόσιοι . . . ἐπιχειροῦσιν

ἐν τῇ νυκτὶ τοῖς Θεσσαλοῖς: („denn als nun die beiden Lager einander gegenüberlagen, da etc.")

Nonnullis locis coniunctionem sequitur indicativus praesentis, ut I, 28, 9: καὶ ἤδη τε νύκτα ἐπέχειν, ὡς κατὰ Φάληρον πλέοντες γίνονται, aut IV, 19, 6[a]: τότε δὲ ὡς τὸν Ἀριστομένην ἐσάγουσιν οἱ Κρῆτες, συνεφρόνησεν ἡ παρθένος κτλ. — Neque alii sunt loci: III, 22, 12; IX, 5, 14. Semel aoristi indicativus exstat, III, 8, 5: Ἆγις δὲ ὡς ἀπήγαγεν ὀπίσω τὴν στρατιάν, Λυσίστρατον Σπαρτιάτην καὶ μοῖράν τε τῆς δυνάμεως καὶ Ἠλείων καταλείπει τοὺς φυγάδας. Ubi scriptoris intererat non actionem durantem designare, sed id temporis momentum, quo Agis Lysistratum ceterosque reliquit. Vertendum est: Als Agis das Heer zurückführte, läßt er den Lysistratus zurück."

Nonnusquam in enuntiato subordinato duae actiones exstant, quarum altera actioni apodoseos antecedit, altera eodem tempore fit quo illa. Velut VII, 2, 11: ὡς δὲ ἐνόστησε τὸ ὕδωρ καὶ οὐκέτι ἦν θάλασσα, οἱ κώνωπες ἄπειρον πλῆθος ἐγίνοντο.

Plusquamperfecti et imperfecti indicativi in eodem enuntiato inveniuntur IX, 13, 3: ὡς δὲ ὁ Λακεδαιμονίων καὶ Θηβαίων ἐξῆρτο ἤδη πόλεμος καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι δυνάμει καὶ αὐτῶν καὶ τῶν συμμάχων ἐπὶ τοὺς Θηβαίους ᾖεσαν, Ἐπαμεινώνδας μὲν ἔχων τοῦ στρατοῦ μοῖραν ἀντεκάθητο ὑπὲρ τῆς Κηφισίδος λίμνης. Bellum iam exortum est et hostes in itinere sunt, cum Epaminondas castra ad Copaïdem lacum ponit. — Similis est locus III, 9, 3. Accedit etiam exemplum VIII, 27, 9: Μεγαλοπολίταις δὲ ἐς τὴν Θηβαίων συμμαχίαν ἐγγραφεῖσιν ἀπὸ Λακεδαιμονίων δεῖμα ἦν οὐδέν. ὡς δὲ ἐς τὸν πόλεμον τὸν ἱερὸν ὀνομασθέντα οἱ Θηβαῖοι κατέστησαν καὶ αὐτοῖς ἐπέκειντο οἱ Φωκεῖς . . . , τηνικαῦτα οἱ Λακεδαιμόνιοι . . . Ἀρκάδας τε ἂν τοὺς ἄλλους καὶ τοὺς Μεγαλοπολίτας ἐποίησαν ἀναστάτους κτλ. = „cum bellum, quod sacrum appellatur, exortum esset et Phocenses Thebanos urgerent, Lacedaemonii Megalopolitanos e finibus expellere conati sunt."

Et imperfecto et imperfecto ἦσαν cum participio perfecti coniuncto actio durans significatur IV, 17, 7: ὡς δὲ οἱ Λακεδαιμόνιοι συνέμισγον καὶ ἦσαν ἐς τὸ κατ' αὐτοὺς οἱ Μεσσήνιοι τετραμμένοι, ἐνταῦθα Ἀριστοκράτης . . . ἀπῆγε τοὺς Ἀρκάδας. Vertendum est: „als die L. handgemein wurden und die M. ihnen gegenüberstanden, da etc."

Dignus est qui proferatur locus IX, 3, 2: ὡς δὲ (sc. Ἥρα) ἐπλησίαζε τῇ ἁμάξῃ καὶ τοῦ ἀγάλματος τὴν ἐσθῆτα περιέρρηξεν, ἥσθη τε τῇ ἀπάτῃ κτλ. Ubi imperfectum mirum est, quoniam necesse est deam accessisse, priusquam simulacri vestem conscinderet, sed tantum exprimere voluit: appropinquavit.

Restat, ut ea enuntiata in disputationem vocemus in quibus verbi γίνεσθαι indicativus aut imperfecti aut aoristi a coniunctione pendet. Utrum horum Pausanias in singulis exemplis adhibuerit, dicere est difficile, quod codices hac in re valde inter se differunt. Consentiunt codices IV, 3, 8[a]: ὡς ἀνὴρ ἐγένετο, οἱ Ἀρκάδες κατάγουσιν αὐτὸν ἐς Μεσσήνην, et 32, 6: ὡς δὲ ἐγένετο ἡ νίκη Θηβαίοις, ἀποδιδόασιν αὖθις τῷ Τροφωνίῳ τὸ ἀνάθημα. Utroque loco actio ἐγένετο antecedit actioni apodoseos, quam ob rem aoristi indicativus recte adhibitus est. Loco VIII, 28, 4 codices Pc et Ag lectionem ἐγίνετο praebent: ὡς δὲ τοῖς Ἕλλησιν οὐκ ἐγίνετο[1]) ἐπίφορα ἐξ Αὐλίδος πνεύματα, ἀλλὰ ἄνεμος σφᾶς βίαιος ἐπὶ χρόνον εἶχεν ἐγκλείσας, ἀφίκετο ὁ Τεῦθις Ἀγαμέμνονι ἐς ἀπέχθειαν. Actio enuntiati absoluti fit, dum durant illae duae actiones ἐγίνετο et εἶχεν, quam ob rem lectionem horum codicum probandam esse puto. Imperfectum exstat in omnibus codicibus IV, 4, 8[b]: ὡς δέ οἱ συνεχῶς ἰόντι ἐπὶ τὰς ἀρχὰς οὐδεμία ἐγίνετο τιμωρία, ἐνταῦθα παρετράπη τε ὁ Πολυχάρης ἐκ τοῦ νοῦ κτλ. et X, 10, 7 excepto codice Vb (ἐγένετο): ὡς δέ οἱ νικῶντι τοὺς βαρβάρους οὐκ ἐγίνετο οὔτε τινὰ ἑλεῖν τῶν πόλεων οὔτε ἐπικρατῆσαι χώρας, ἐς ἀνάμνησιν ἀφικνεῖτο τοῦ χρησμοῦ.

In eadem structura IX, 13, 5 omnes codices aoristum tradunt: καὶ ὁ Σκέδασος, ὡς ἐς Λακεδαίμονα ἐλθόντι οὐδεμία ἐγένετο αὐτῷ δίκη, οὕτως ἐς τὰ Λεῦκτρα ἐπανήκων αὑτὸν διεργάζεται.[2]) Quem aoristum mutare dubito; nam utrum tempus Periegeta vere adhibuerit, vix erui potest, cum formae illae ἐγίνετο et

[1]) *ἐγένετο* codd M Vab Lab.

[2]) Particulam *ὡς* omiserunt plerique codices, sed praebent Pa La, quos cum Schubarto Walzioque et Spirone Hitzigius recte mea quidem sententia secutus *ὡς* retinuit et lectionem vulgatam *οὗτος* in *οὕτως* commutavit.

ἐγένετο a librariis persaepe commutatae sint. Imperfectum exspectandum est etiam VII, 5, 2: Ἀλέξανδρον γὰρ θηρεύοντα ἐν τῷ ὄρει τῷ Πάγῳ, ὡς ἐγένετο ἀπὸ τῆς θήρας, ἀφικέσθαι πρὸς Νεμέσεων λέγουσιν ἱερόν, καὶ πηγῇ τε ἐπιτυχεῖν αὐτὸν καὶ πλατάνῳ πρὸ τοῦ ἱεροῦ, πεφυκυίᾳ δὲ ἐπὶ τοῦ ὕδατος. καὶ ὑπὸ τῇ πλατάνῳ καθεύδοντι κελεύειν φασὶν αὐτῷ τὰς Νεμέσεις ἐπιφανείσας πόλιν ἐνταῦθα οἰκίζειν. Apparet Alexandrum non, cum redisset e venatione, sed in reditu ipso forte ad fanum illud venisse. Quamquam codices ad unum omnes aoristum praebent.

Etiam difficilius est eruere, utrum aoristo an imperfecto scriptor usus sit eis locis ubi γίνεσθαι verbum cum ἐγγύς vel πλησίον particulis coniunctum est aut cum substantivo aliquo, quod a praepositionibus κατά vel ἐν pendet; nam verbo γίνεσθαι hac in structura significatio et „venire“ et „versari = venisse“ inesse potest. Velut I, 4, 1: καὶ ὡς ἐγγὺς Θερμοπυλῶν ἐγίνοντο [cod Ag ἐγένοντο], ἐνταῦθα οἱ πολλοὶ τῶν Ἑλλήνων ἐς τὴν ἔφοδον ἡσύχαζον τῶν βαρβάρων.

I, 19, 1: ὡς ἐγίνετο (cod N ἐγένετο) κατὰ τὸν τοῦ Δελφινίου ναόν, οἱ τὴν στέγην οἰκοδομοῦντες ἤροντο σὺν χλευασίᾳ κτλ.

IV, 4, 7: ὡς δὲ προϊόντες ἐγίνοντο ἐν τῇ Λακωνικῇ, ἔργον ἐτόλμησεν Εὔαιφνος ἀνοσιώτερον τοῦ προτέρου.

Quae cum ita sint, his singulis locis eam lectionem recipiendam esse puto, quam plurimi optimique codices praebent. Eos locos breviter enumerare mihi liceat: II, 26, 5^{b} plurimi codices habent lectionem ἐγγὺς ἐγίνετο [Vb La ἐγένετο]; II, 20, 9 ⟨ἐγγὺς 1)⟩ ἐγίνοντο [Va ἐγένοντο]; IV, 8, 2 πλησίον ἐγίνοντο [La ἐγένοντο]; V, 20, 8: ἐγγύτατα ἐγένετο [omnes codd.]

I, 16, 2^{b} ἐγένετο κατὰ κτλ. in omnibus codicibus exstat; III, 15, 4 ἐγίνετο in plurimis [La ἐγένετο]; IV, 16, 5 ἐγίνετο [M ἐγένετο]; IV, 21, 1 ἐγίνοντο (vel ἐγίγνοντο) [La ἐγένοντο]; VII, 3, 2 ἐγένοντο [La ἐγένετο]; 15, 10 et IX, 14, 6: ἐγίνετο [omnes codd.]; IX, 16, 6 ἐγίνοντο [omnes codd.]. — III, 8, 7: ἐγίνετο ἐν Ἡραίᾳ [La Pa ἐγένετο].

Videamus nunc, quibus temporibus actio enuntiati absoluti contineatur. In quo aoristus praevalet. Invenitur aoristi indicativus 87ies: I, 1, 2; 6, 8; 9, 6; 11, 3; 13, 6; 14, 5;

1) Quod Facius supplevit.

16, 2^{a}; 19, 1; 20, 6; 27, $5^{a,b,c}$; 29, 9; 32, 3; 39, 2; 39, 4; II, 1, 2; 9, 3; 9, 4; 9, 7; 20, 2, 23, 1^{b}; 26, 5^{b}; 33, 4; III, 1, 2; 4, 1^{a}; 6, 2; 9, 3; 17, 8; 22, 12; 26, 6; IV, 2, 4; 3, 8^{b}; 4, 7; 4, 8^{b}; 7, 5; 12, 10; 16, 4; 18, 6; 20, 10; 23, 5; 24, 1; 28, 1; 28, 6; 29, 3; V, 11, 9; 16, 5; 21, 11; VI, 5, 7; 6, 9; VII, 2, 6; 7, 5; 10, 9; 16, 5; 21, 5; VIII, 3, 6; 4, 3; 8, 7; 8, 9; 12, 8; 27, 9; 28, 4; 40, 2; 50, 6; 51, 5; IX, 1, 7; 3, 2; 5, 6; 5, 14; 7, 3; 13, 1; 14, 2; 15, 4; 15, 5; 16, 6; 23, 4; 32, 7; 34, 10; 37, 3; 40, 2; X, 11, 2; 20, 6; 22, 4; 23, 11; 23, 13; 37, 8. Loco VII, 15, 10 indicativus aoristi et ᾤχοντο verbum exstant. Satis insolita structura apodoseos est VIII, 27, 9 et 10: agitur de Megalopolitanis, sociis Thebanorum, quos Lacedaemonii tum demum aggressi sunt, cum Thebani ipsi a Phocensibus urgentur: ὡς δὲ ἐς τὸν πόλεμον τὸν ἱερὸν ὀνομασθέντα οἱ Θηβαῖοι κατέστησαν . . ., τηνικαῦτα οἱ Λακεδαιμόνιοι προθυμίας μὲν [οὖν] ἕνεκα Ἀρκάδας τε ἂν τοὺς ἄλλους καὶ τοὺς Μεγαλοπολίτας ἐποίησαν ἀναστάτους, ἀμυνομένων δὲ αὐτῶν τε οὐκ ἀθύμως . . . λόγου μὲν συνέπεσεν οὐδὲν ἄξιον γενέσθαι παρὰ οὐδετέρων. Ubi aoristi indicativo ἐποίησαν cum ἄν particula coniuncto expressum est Lacedaemonios revera conatos esse Megalopolitanos e finibus expellere; quod eis non contigisse, cum illi fortiter restitissent. Itaque exspectamus aut imperfectum de conatu ἐποίουν ἀναστάτους aut structuram talem: ἐποίησαν ἂν ἀναστάτους, εἰ μὴ τότε οὐκ ἀθύμως ἠμύναντο. — Dignus est qui proferatur etiam locus X, 22, 4: γυναῖκες δὲ . . . ἑαυτὰς ἔφθησαν, ὡς ἡλίσκετο ἡ πόλις, διειργασμέναι. Participio perfecti exprimitur, qua celeritate mulieres manus sibi intulerint.

Indicativi locum tenet in oratione obliqua infinitivus aoristi 24 locis: I, 30, 1; 41, 3; II, 2, 7; 20, 4; III, 19, 10; 21, 8; 26, 10; IV, 30, 3; 34, 10; VII, 5, 2; 5, 6; 17, 11^{a}; 18, 3; 22, 8; VIII, 48, 7; 53, 10; IX, 14, 7; 16, 7; 28, 2; 30, 6; 34, 2; 34, 3; 37, 5; X, 4, 6; accedit infinitivus praesentis οἴχεσθαι I, 27, 7 et 27, 8. 21ies enuntiatum subordinatum ad participium aoristi refertur; quod in structura genetivi absoluti exstat: I, 8, 5; 11, 2; 11, 4; 31, 2; II, 20, 8; 23, 1^{a}; 29, 2; III, 8, 1; IV, 3, 3; 34, 9; 36, 6; V, 3, 3; 22, 4; VII, 10, 5; VIII, 15, 7; IX, 1, 8; 13, 7, a verbo ὁρᾶν pendet I, 10, 1, pronomini additum est I, 23, 9 (καί οἱ δολοφονηθέντι, ὡς κατῄει, μνῆμά ἐστιν). Ad participium pertinet enuntiatum ab ὡς particula pendens etiam IV, 12, 9:

ὡς νὺξ τάχιστα ἐπελάμβανεν, ἀναθεὶς τοὺς τρίποδας τῷ θεῷ τούτους δὴ τοὺς πηλίνους αὖθις ἐς Σπάρτην . . . ᾤχετο. Similis est locus IV, 26, 7.

Idem quod indicativus aoristi valet indicativus praesentis historici qui invenitur 61ies: I, 8, 3; 9, 2; 10, 4; 16, 2^{b};22, 2; 22, 5; 27, 10; 32, 6; II, 6, 2^{a}; 6, 2^{b}; 6, 3; 16, 3; 26, 4; 20, 9; 29, 10; 36, 4; III, 4, 1^{c}; 5, 2; 5, 8; 8, 5; 9, 7; 9, 13; 10, 2; 15, 6; 23, 5; IV, 3, 8^{a}; 9, 4; 16, 5; 19, 6^{b}; 32, 6; 35, 3; V, 13, 4; 21, 17; VI, 7, 5; 9, 7; 11, 6^{b}; 18, 5^{a}; VII, 3, 2; 12, 3; 14, 3; 15, 5; 26, 2; VIII, 5, 12^{b}; 11, 7; 12, 3^{a}; 41, 2; IX, 5, 9; 5, 13; 9, 2; 9, 5; 13, 5; 14, 1; 14, 5; 14, 6; 30, 5; 38, 5; X, 1, 4; 1, 5; 1, 11; 23, 6; 33, 10.

Indicativus imperfecti exstat 73 locis: I, 4, 1; 4, 4; 13, $1^{a\ et\ b}$; 19, 4; 23, 3; II, 8, 6; 27, 4; 28, 4; 34, 7; III, 3, 4; 4, 1^{b}; 4, 3; 4, 5; 5, 4; 6, 6; 8, 7; 9, 8; 15, 4; 19, 13; IV, 4, 8^{a}; 6, 6; 8, 2; 16, 1; 16, $7^{a\ et\ b}$; 17, 6; 17, 7; 18, 1; 18, 7; 21, 1; 22, $2^{a\ et\ b}$; 22, 7; 24, 4; 27, $3^{a\ et\ b}$; 27, 3^{c}; 27, 5^{a}; 27, 6; 35. 5; 35, 6; V, 2, 2^{a}; 20, 5; 20, 8; VI, 3, 15; 11, 3; 11, 6^{a}; 18, 5^{b}; VII, 2, 4; 2, 11; 10, 8; 14, 2; 15, 3; 15, 9; 15, 11; 16, 9; 19, 2; VIII, 11, 2; 39, 4; 42, 2; 42, 7; 49, 6; IX, 5, 4; 5, 10; 13, 9; 13, 10; 14, 4; X, 1, 9; 6, 6; 10, 7; 20, 9; 21, 1. Accedunt loci VII, 16, 3; (ᾤχοντο); IX, 13, 3 (ἀντεκάθητο); X, 22, 6 (προσέκειντο). Iam profero locum VI, 14, 3: ὡς δὲ ἀφίκετο ἀγῶνος καιρὸς ὃν Σμυρναῖοι Ἰώνων ἄγουσιν, ἐς τοσοῦτο ἄρα αὐτῷ τὰ τῆς ῥώμης ἐπηύξητο ὡς κτλ. Ubi plusquamperfectum, cum status re perpetrata effectus maiore gravitate sit, proxime ad imperfectum accedit.

Infinitivum praesentis in apodosi invenimus I, 18, 2; 21, 2; 23, 6; 28, 9; 29, 12; V, 16, 7; VI, 22, 9^{b}; VII, 24, 5; VIII, 34, 3; 53, 2; IX, 31, 8; X, 38, 2. Quibus omnibus locis infinitivus in oratione obliqua adhibitus ad praeteritum tempus refertur.

Nonnullis locis enuntiatum subordinatum ad participium praesentis pertinet, quod in rerum gestarum enarratione imperfecti locum tenet, ut I, 4, 3: ἔνθα δὴ πλείστου παρέσχοντο αὑτοὺς Ἀθηναῖοι τοῖς Ἕλλησιν ἀξίους, ἀμφοτέρωθεν. ὡς ἐκυκλώθησαν ἀμυνόμενοι τοὺς βαρβάρους, et I, 16, 1. Item pro indicativo imperfecti exstat in structuris genetivi absoluti, ut IV, 9, 6: Ἐχόντων δὲ ἀθύμως τῶν Μεσσηνίων, ὡς Λυκίσκον ἀποδράντα ᾔσθοντο, ἐνταῦθά σφισιν Ἀριστόδημος . . . ἐδίδου τὴν θυγατέρα ἑκὼν θῦσαι; VIII, 12, 3^{b}; X, 19, 4. Uno loco IX,

25, 10 aoristi locum tenet: Ἀλεξάνδρου δέ, ὡς ἐνίκησε τῇ μάχῃ, Θήβας . . . διδόντος πυρί, ἄνδρες τῶν ἐκ Μακεδονίας ἐλθόντες ἐς τῶν Καβείρων τὸ ἱερὸν . . . κεραυνοῖς τε ἐξ οὐρανοῦ καὶ ἀστραπαῖς ἐφθάρησαν. — In illorum participiorum numero καθημένους putandum est, quod exstat IV, 5, 9.

B. ἐπεί.

Pervenimus ad ἐπεί coniunctionem. Quae apud Pausaniam ut saepe causali aut γέ particula addita etiam adversativo sensu adhibita est, ita temporali sensu exstat modo 43 locis. Quater ἐπεί coniunctioni τε particula vi copulativa priva addita est, ut I, 2, 1: Ἀθηναῖοι δέ φασιν, ἐπεί τε ἦλθον Ἀμαζόνες, Ἀντιόπην μὲν ὑπὸ Μολπαδίας τοξευθῆναι. Reliqui quoque loci omnes in primo libro I, 20, 3; 22, 3; 23, 2^{a} exstant. Haec formula insolita, quae apud scriptores Atticos non invenitur, in Herodoti libris persaepe occurrit.[1]) Quae cum ita sint, dubitari non potest quin Pausanias hac quoque re Herodotum imitatus sit, praesertim cum alii quoque Herodoti imitatores ut Appianus et Arrianus hanc formulam adhibuerint.[2])

Enuntiatum ab ἐπεί coniunctione temporali pendens absoluto anteponi solet; quam collocationem invenimus 35ies. Octo modo locis in enuntiatum absolutum immissum est (I, 20, 3; 22, 3; 23, $2^{a\ et\ b}$; III, 5, 8; IV, 20, 4; VII, 7, 9; VIII, 14, 5), nunquam illud sequitur.

In apodosi exstant particulae ad coniunctionem spectantes hae:

ἐνταῦθα: I, 35, 8; III, 9, 12; VII, 5, 6; 6, 8; VIII, 49, 6,
αὐτίκα: I, 6, 5; VII, 8, 4,
οὕτω(ς): II, 3, 10; IV, 26, 2,
τότε ἤδη: IV, 7, 6,
τὸ μετὰ τοῦτο: V, 5, 4.

A coniunctione pendet apud Herodotum plerisque locis indicativus, etiam infinitivus et optativus, a ἐπεί τε formula etiam coniunctivus[3]), apud Thucydidem semper indicativus excepto uno loco VIII, 38, 5, ubi optativus exstat.[4]) In Pau-

[1]) Cf. Brackett l. l. pp. 212, 223/24, 231.
[2]) Cf. A. Zerdik, Quaestiones Appianeae, Diss. Kil. 1886, p. 35.
[3]) Cf. Brackett p. 222, 231.
[4]) Cf. Warren p. 55. 67.

saniae libris hic usus etiam magis coartatus est: omnibus locis indicativus coniunctionem sequitur.

Enuntiati subordinati actio apud Periegetam aut prius fit quam apodoseos actio aut eodem tempore. Antecedit omnibus eis locis quibus indicativus aoristi a particula pendet: I, 2, 1; 6, 5; 20, 3; 22, 3; 23, 2[a et b]; II, 3, 10; III, 3, 10; 4, 10; 5, 8; 9, 12; IV, 3, 1; 8, 1; 21, 10; 25, 1; 26, 2; 34, 5; VI, 13, 9; VII, 5, 6; 7, 9; 10, 4; 14, 5; VIII, 42, 8; 49, 6; IX, 22, 7; X, 2, 1; 2, 7; 15, 7. Quibus locis addi potest IV, 29, 3, ubi indicativus praesentis historici exstat. Nonnusquam actio antecedens plusquamperfecto expressa est, ut VII, 8, 4: ἐπεὶ δὲ ἡ Νάβιδος ἐν Σπάρτῃ τυραννὶς κατελέλυτο, . . . τὰ ἐς τοὺς Λακεδαιμονίους αὐτίκα ἐνεπεπτώκει. Quo loco actio κατελέλυτο antecedit, sed ut appareret actionem absoluti enuntiati illud statim subsequi, Pausanias in apodosi quoque plusquamperfecto usus est. — VII, 17, 9: ἐπεὶ δὲ ηὔξητο, μετῴκησεν ἐς Λυδίαν „cum adolevisset, etc.“

Indicativi aoristi et plusquamperfecti ab eadem coniunctione pendent IV, 7, 6: ἐπεὶ δὲ ἥ τε νὺξ ἐπέλαβε καὶ ἡ μάχη διελέλυτο, τότε ἤδη καὶ τὰ πρὸ τοῦ στρατοπέδου κατὰ τὴν χαράδραν ἐφράξαντο. Ambae actiones prius fiunt quam ἐφράξαντο. Accedit locus VII, 6, 8, quem codices ita tradunt: ἐπεὶ δὲ Γαλάται ναυσὶν ὅντινα δὴ τρόπον διαβεβήκασιν ἐς τὴν Ἀσίαν, ἐνταῦθα εἶχεν οὕτω τὰ Ἑλλήνων. At cum Pausanias in talibus structuris nonnusquam plusquamperfectum, non perfectum adhibuerit, recte editores emendationem Popponis διαβεβήκεσαν receperunt.

Loco I, 35, 8 actio antecedens imperfecto expressa est: ἐπεὶ δέ σφισιν ἐναντιούμενος ἀπέφαινον ἐν Γαδείροις εἶναι Γηρυόνου μνῆμα μὲν οὔ . . . , ἐνταῦθα οἱ τῶν Λυδῶν ἐξηγηταὶ τὸν ὄντα ἐπεδείκνυον λόγον. Quam structuram in verbis sentiendi et dicendi adhibitis non raram esse iam supra dictum est.[1])

Ceteris locis quibus imperfectum coniunctionem sequitur actiones utriusque enuntiati eodem tempore fiunt, velut II, 24, 3: ἐπεὶ δὲ τὰ λάφυρα ἐνέμοντο, λαμβάνει Σθένελος ὁ Καπανέως αὐτόν (sc. ξόανον). „cum praedam partirentur inter se, Sthenelus statuam accepit“; vel IV, 33, 3: τὴν δὲ Ἀργιόπην τέως

[1]) Cf. p. 40.

μὲν περὶ τὸν Παρνασσόν οἰκεῖν, ἐπεὶ δὲ εἶχεν ἐν γαστρί, ἐς Ὀδρύσας λέγουσι μετοικῆσαι „tum cum gravida erat, ad Odrysas dicitur migravisse“. Ceteri loci sunt I, 32, 6; III, 20, 4; VIII, 27, 12; IX, 30, 10; X, 19, 6.

In apodosi invenitur aoristi indicativus 12ies: I, 6, 5; 22, 3; III, 4, 10; 5, 8; IV, 7, 6; 29, 3; V, 5, 4; VII, 5, 6; 17, 9; VIII, 42, 8; X, 2, 7; 19, 6. Cuius locum septies tenet infinitivus aoristi, qui a verbo dicendi pendet; I, 2, 1; II, 3, 10; IV, 33, 3; 34, 5; IX, 22, 7; X, 2, 1; 15, 7. Aoristo addimus indicativum praesentis historici exstantem quinque locis: I, 32, 6; II, 23, 1; 24, 3; IV, 26, 2; VII, 7, 9. Aoristi et praesentis indicativi coniuncti sunt III, 3, 10: Ἐπεὶ δὲ ἀπέθανεν Ἀναξανδρίδης, Λακεδαιμόνιοι . . . τὸν μὲν ἀπώσαντο ἄκοντες, Κλεομένει δὲ διδόασιν . . . τὴν ἀρχήν. Imperfectum invenimus I, 23; 2[a]; 35, 8; III, 9, 12; IV, 8, 1; 20, 4; 21, 10; 25, 1; VI, 13, 9; VII, 6, 8; 10, 4; 14, 5; VIII, 27, 12; 49, 6; IX, 3, 10, plusquamperfectum duobus locis. Quorum in altero IV, 3, 1 status actione effectus gravior est quam actio ipsa, qua de causa verbum ad imperfectum proxime accedit: ἐπεὶ δὲ . . . τὸν μὲν Πολυδεύκης ἀπέκτεινεν, Ἴδαν δὲ ἐπέλαβε τὸ χρεὼν κεραυνωθέντα, ὁ μὲν Ἀφαρέως οἶκος γένους παντὸς ἠρήμωτο τοῦ ἄρρενος. Vertendum est: „da war das Haus des Aphareus aller männlichen Nachkommen beraubt; da hatte es keine m. N. mehr.“ Alterum locum VII, 8, 4 iam supra protulimus (p. 48). Uno loco I, 20, 3 in oratione obliqua perfecti infinitivus adhibitus est, quo actio celerrime perfecta exprimeretur: καὶ τὴν μέν [sc. Ἥραν], ἐπεί τε ἐκαθέζετο, δεδέσθαι = „kaum habe sie sich niedergelassen, da sei sie auch schon gefesselt gewesen.“ — Brachylogia quaedam Pausaniae haud ingrata animadvertenda est I, 23, 2[b]: ἀντὶ δὲ τούτων, ἐπεὶ τυραννίδος ἐπαύθησαν οἱ Πεισιστρατίδαι, χαλκῆ λέαινα Ἀθηναίοις ἐστὶν ἐς μνήμην τῆς γυναικός. Exspectamus fere: ἐπεὶ — Πεισιστρατίδαι, χαλκῆ λέαινα ἀνετέθη καὶ (vel ἀνατεθεῖσα) Ἀθηναίοις ἐστὶν ἐς μνήμην τ. γ.

C. ἐπάν.

Coniunctio ἐπάν apud Herodotum[1]) solum crebro exstat (forma ἐπεάν), apud alios scriptores raro invenitur, ut apud

[1]) Brackett pp. 222, 231.

Thucydidem ter[1]) (forma ἐπήν), in Xenophontis Anabaseos prioribus tribus libris bis, in Polybii prioribus quinque libris quinquies.[2]) Neque igitur mirandum est, quod Periegeta hanc particulam non adhibuit nisi uno loco IX, 28, 4: ἐπὰν οὖν συλλέγειν τοῦ παλσάμου τὸν ὀπὸν ἀφίκηται τοῖς Ἄραψιν ὥρα, ξύλων δύο ἕκαστος σκυτάλας ἐπὶ τοὺς ἔχεις [ἐσ]φέρει, κροτοῦντες δὲ τὰ ξύλα ἀπελαύνουσι τοὺς ἔχεις. Neque offendit ulla re haec structura. Actio praesenti tempore iterata est, cum de consuetudine aliqua agatur; quam ob rem in apodosi praesentis indicativus exstat. Atque cum actio enuntiati a coniunctione pendentis antecedat apodoseos actioni, iure coniunctivus aoristi particulam ἐπάν sequitur.

D. ἐπειδή.

Ἐπειδή coniunctionem, quae apud Herodotum 35ies exstat[3]), praecipue a Thucydide adhibita est (212ies)[4]), etiam apud Polybium, qui omnino coniunctionibus non crebro usus est, invenitur — in prioribus quidem quinque libris — 21ies[5]), Pausanias in deliciis non habuit: 11 modo locis exstat.

Quattuor locis enuntiatum subordinatum antecedit absoluto, quattuor id sequitur, tribus in illud immissum est. — In apodosi inveniuntur particulae temporales hae:

ἤδη IV, 8, 13,
ἐνταῦθα IV, 21, 5,
μετὰ ταῦτα X, 32, 9.

Aeque atque ἐπεί sola particula etiam ἐπειδή coniunctio aut causali aut temporali vi adhiberi potest. Causae aliquid immixtum est coniunctioni loco IV, 26, 6: σὺ δὲ Μεσσηνίοις γῆν τε πατρίδα καὶ πόλεις ἀπόδος, ἐπειδὴ[6]) καὶ τὸ μήνιμα ἤδη

[1]) Warren p. 58.
[2]) Brief p. 26.
[3]) Brackett p. 231.
[4]) Warren p. 67.
[5]) Brief pp. 13 et 26.
[6]) Ἐπειδὴ lectionem omnes codices habent, quam receperunt editores exceptis Xylandro Sylburgio, Kuhnio, Facio, qui coniecerunt ἐπειδάν — quod mirandum, cum ἐπειδάν coniunctionem ut apud alios ita in Pausaniae libris semper coniunctivus sequatur.

σφίσι πέπαυται τὸ Διοσκούρων. Ubi actio apodoseos futuro tempore continetur, qua de causa in altero enuntiato perfecti indicativus exstat.

Ceteris decem locis quibus ἐπειδή particula temporis determinationi inservit actiones ad praeteritum tempus referuntur.

Bis actiones enuntiatorum et subordinati et absoluti eodem tempore fiunt, quam ob rem a particula pendet indicativus imperfecti: IV, 21, 5: ἐπειδὴ δὲ ἡμέρα τε ἦν καὶ ἀλλήλους καθορᾶν ἐδύναντο, ἐνταῦθα Ἀριστομένης καὶ Θέοκλος ἐπειρῶντο ἐς πᾶσαν ἀπόνοιαν προάγειν τοὺς Μεσσηνίους, et VII, 9, 3: ἐλύπησαν δὲ καὶ ἐς πλέον τοὺς Ἀχαιούς, ἐπειδὴ ἐς τὸν σύλλογον αὐτῶν ἐσελθόντες σὺν ὀργῇ μᾶλλον ἐποιοῦντο ἢ πειθοῖ τοὺς λόγους. Quibus locis exceptis in enuntiato secundario, cuius actio apodoseos actioni antecedit, indicativus aoristi adhibitus est, ut IV, 8, 13: καὶ ἐπειδὴ παρ' ἀμφοτέρων συνεχωρήθη, θάψειν ἔμελλον ἤδη τὸ ἐντεῦθεν. Ceteri loci sunt VII, 9, 1 (ἀφίκοντο); 25, 2 (ἐπύθοντο); VIII, 27, 1 (ἐπεύξησαν)[1]); 34, 3 (ἐντὸς ἐγένετο αὐτοῦ); X, 32, 9 (ἀνῳκίσθησαν)[2]); 33, 3 (ἀνῳκίσθη); 37, 7 (ᾔσθετο). Qui usus Pausaniae non differt ab Herodoto et Thucydide nisi quod coartatus est; nam ut Herodotus semel infinitivum quoque post ἐπειδή particulam adhibuit[3]), ita Thucydides quinquies optativum.[4])

In apodosi aut aoristi indicativi (VII, 9, 3; 25, 2; VIII, 34, 3; X, 37, 7) aut imperfecti (IV, 8, 13; 21, 5; VII, 9, 1; X, 33, 3) exstant. Uno loco VIII, 27, 1 enuntiatum subordinatum ad participium aoristi pertinet quod a verbo ἐπίστασθαι pendet: συνῆλθον δὲ ὑπὲρ ἰσχύος ἐς αὐτὴν οἱ Ἀρκάδες, ἅτε καὶ Ἀργείους ἐπιστάμενοι τὰ μὲν ἔτι παλαιότερα μόνον οὐ κατὰ μίαν ἡμέραν ἑκάστην κινδυνεύοντας ὑπὸ Λακεδαιμονίων παραστῆναι τῷ πολέμῳ, ἐπειδὴ δὲ ἀνθρώπων πλήθει τὸ Ἄργος ἐπηύξησαν καταλύσαντες ..., τά τε ἀπὸ Λακεδαιμονίων ἀδεέστερα τοῖς Ἀργείοις ὑπάρξαντα

[1]) Plurimi codices habent lectionem ἐπεί, quam recepit Siebelisius; at in optimo codice La exstat ἐπειδή. Quem iure Schubartus Walziusque, Hitzigius, Spiro secuti sunt.
[2]) Ἐπειδή particula omissa est in codicibus Va Pc Ag Lb, sed cum sensu coniunctio temporalis postuletur, testimonio ceterorum codicum eam praebentium fides habenda est.
[3]) Brackett p. 223.
[4]) Warren p. 67.

καὶ ἅμα ἐς τοὺς περιοίκους ἰσχὺν γενομένην αὐτοῖς. Infinitivus aoristi invenitur X, 32, 9: ἔοικεν οὖν ἀνὰ χρόνον πρῶτα μὲν δὴ τῇ ἁπάσῃ χώρᾳ, μετὰ δὲ ταῦτα, ἐπειδὴ ἀνῳκίσθησαν ἀπὸ τῶν κωμῶν, ἐκνικῆσαι καὶ ἐπὶ τῇ πόλει Τιθορέαν μηδὲ ἔτι Νέωνα ὀνομάζεσθαι. In apodosi exstare aoristi imperativum IV, 26, 6 iam supra vidimus (p. 50).

E. ἐπειδάν.

Particula ἐπειδάν omnino non saepe videtur adhibita esse. In Herodoti libris certe uno loco tradita est[1]), apud Thucydidem septies[2]) apud Polybium decies.[3]) Neque Periegeta eam gratam habuit; exstat 17 locis. — Collocatio enuntiatorum aeque atque in particula ἐπειδή non certis limitibus coartatur. Enuntiatum secundarium aut antecedit absoluto (septies) aut id sequitur (sexies) aut in illud immissum est (quater). In apodosi inveniuntur particulae:

τηνικαῦτα: IV, 6, 5; IX, 30, 9; X, 22, 10.
παραυτίκα: V, 3, 2.

Quibus addo particulam ἔτι cum negandi voce coniunctam, ut οὐδὲ . . . ἔτι III, 8, 3,
μηδὲν . . . ἔτι VI, 23, 8.

Per eam coniunctionem enuntiata introducuntur quorum actiones aut ad futurum tempus spectant aut praesenti tempore repetuntur. Itaque coniunctionem coniunctivus sequitur; qui aoristi est, si actio enuntiati subordinati prius fit quam absoluti, et praesentis, si eodem tempore accidit. Ab hoc usu Pausanias non recessit. Invenimus iisdem condicionibus coniunctivum praesentis V, 13, 10: Ἄχρι μὲν δὴ τῆς προθύσεως ἔστιν ἀναβῆναι καὶ παρθένοις καὶ ὡσαύτως γυναιξίν, ἐπειδὰν τῆς Ὀλυμπίας μὴ ἐξείργωνται, itemque VI, 23, 8; VII, 19, 10; 20, 8; 24, 9; IX, 17, 4; 39, 10; atque coniunctivum aoristi, ut IX, 39, 5: ἐπειδὰν ἀνδρὶ ἐς τοῦ Τροφωνίου κατιέναι δόξῃ, πρῶτα μὲν τεταγμένων ἡμερῶν δίαιταν ἐν οἰκήματι ἔχει κτλ., itemque II, 35, 6; III, 8, 3; IV, 6, 5; 17, 6;

[1]) Brackett p. 213.
[2]) Warren p. 69.
[3]) Brief p. 20.

V, 3, 2; IX, 30, 9; X, 13, 1; 22, 10. Ad aoristum proxime accedit coniunctivus verbi καθήκειν IX, 2, 4.

Apodosis actionem praesenti sed incerto tempore repetitam continet, ut in moribus et locis describendis fieri solet. Qua condicione Pausanias indicativum praesentis solet adhibere, velut VII, 19, 10: καί οἱ καὶ ἐναγίζουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος, ἐπειδὰν τῷ Διονύσῳ τὴν ἑορτὴν ἄγωσι. Neque aliter se habent loci V, 13, 10; VII, 20, 8; 24, 9; IX, 17, 4; 39, 5; 39, 10. Indicativus aoristi exstat II, 35, 6, qui ita se habet: Pausanias descripsit τὰ Χθόνια, quae quotannis Cthoniae deae celebrantur; quae descriptio inducitur per hasce voces: ἄγουσιν δὲ οὕτως. In descriptione ipsa modo indicativus praesentis, modo aoristi adhibitus est. Summa diei sacrificium bovis est: τοῖς δὲ τὴν πομπὴν πέμπουσιν ἕπονται τελείαν ἐξ ἀγέλης βοῦν ἄγοντες διειλημμένην δεσμοῖς τε καὶ ὑβρίζουσαν ἔτι ὑπὸ ἀγριότητος, ἐλάσαντες δὲ πρὸς τὸν ναὸν οἱ μὲν ἔσω φέρεσθαι τὴν βοῦν ἐς τὸ ἱερὸν ἀνῆκαν ἐκ τῶν δεσμῶν, ἕτεροι δὲ ἀναπεπταμένας ἔχοντες τέως τὰς θύρας, ἐπειδὰν τὴν βοῦν ἴδωσιν ἐντὸς τοῦ ναοῦ, προσέθεσαν τὰς θύρας. Videmus indicativum aoristi non ad praeteritum tempus referri, sed praesenti contineri; ergo hi aoristi putandi sunt gnomici qui dicuntur.[1]).

Similis est locus X, 13, 1, ubi venatio βισώνων describitur: θηρεύονται δὲ οὗτοι τρόπον τοιόνδε· ἐπειδὰν χωρίον οἱ ἀγρεύοντες πρανὲς εὕρωσι καθῆκον ἐς κοιλότητα, πρῶτα μὲν φράγματι ἰσχυρῷ πέριξ ὠχυρώσαντο κτλ. Hoc quoque loco, cum actio non semel praeterito tempore facta, sed semper iterata descripta sit, aoristus est gnomicus.

Actio apodoseos potest etiam ad futurum tempus spectare. Inprimis huc pertinent loci IV, 6, 5: καὶ τὰ ἐς αὐτόν, ἐπειδὰν ἐς τοῦτο ὁ λόγος ἀφίκηται, τηνικαῦτα ἐπέξειμι, et IX, 2, 4: . . . ἃ δὴ καὶ ἐς πλέον ἐπέξειμι, ἐπειδὰν ἐς αὐτὰ ὁ λόγος καθήκῃ μοι. Quibus locis Periegeta, cum ipse se illud facturum esse promittat, in oratione absoluta indicativum futuri adhibuit. Sed ad futurum tempus spectant actiones etiam illis locis quibus apodosis a verbo quodam pendet quod praeterito tempore continetur, ut indicativus futuri ὡς particulam sequens a participio aoristi pendet III, 8, 3: ἀποκριναμένων δὲ Ἠλείων ὡς

[1]) Ut voluit etiam Hitzigius ad h. l. vol. II, 1, p. 648.

ἐπειδὰν τὰς περιοικίδας τῆς Σπάρτης πόλεις ἴδωσιν ἐλευθέρας, οὐδὲ αὐτοὶ μελλήσουσιν ἔτι ἀφιέναι τὰς ἑαυτῶν; aut ut infinitivus futuri pendet ab ἀφικέσθαι μάντευμα IX, 30, 9: ἀφικέσθαι δὲ τοῖς Λιβηθρίοις παρὰ τοῦ Διονύσου μάντευμα ἐκ Θρᾴκης, ἐπειδὰν ἴδῃ τὰ ὀστᾶ τοῦ Ὀρφέως ἥλιος, τηνικαῦτα ὑπὸ συὸς ἀπολεῖσθαι Λιβηθρίοις τὴν πόλιν.

Non aliter se habent illa exempla in quibus infinitivus praesentis a verbo imperandi quod continetur praeterito tempore pendet, ut IV, 17, 6: ἐκέλευεν οὖν πάντα τινά, ἐπειδὰν αὐτὸς σημήνῃ, φυγῇ χρῆσθαι, itemque VI, 23, 8, ubi infinitivus φέγγεσθαι ad participium διακελευσάμενοι refertur. Similis est locus X, 22, 10: καὶ Ἀκιχώριον μὲν κατέλιπεν ἐπὶ τῇ στρατιᾷ, προειπών, ἐπειδὰν περιλάβωσιν αὐτοὶ τὸ Ἑλληνικόν, τηνικαῦτα καὶ ἐκείνοις ἐφόδου καιρὸν εἶναι, (quae verba idem fere significant atque ἐπιτίθεσθαι). Quin infinitivus aoristi ad futurum tempus spectat V, 3, 2: Τῶν δὲ Ἠλείων αἱ γυναῖκες, ἅτε τῶν ἐν ἡλικίᾳ σφίσιν ἠρημωμένης τῆς χώρας, εὔξασθαι τῇ Ἀθηνᾷ λέγονται κυῆσαι παραυτίκα, ἐπειδὰν μιχθῶσι τοῖς ἀνδράσι.

F. ὅτε.

Ὅτε coniunctionem, quae apud Herodotum 36ies[1]), apud Thucydidem 53ies[2]) exstat, Periegeta non minus 72 locis adhibuit. Coniunctioni semel particula περ (II, 33, 2), quinquies δή (IV, 3, 5; 17, 5; VII, 17, 2; VIII, 21, 2; X, 1, 3) addita est, qui usus apud alios quoque invenitur, cf. Thuc. I, 8, 2 (ὅτε περ); II, 102, 5 (ὅτε δή).

Particulae ὅτε δή coniunctae enuntiatum quoque absolutum introducere possunt; quod si ita est, prope ad vim particularum τότε δή accedunt; quem usum, ut nonnullos proferam, Polybius et Diodorus exhibent.[3]) Apud Pausaniam exstare mihi quidem videtur duobus locis, quos, quo clarior res evadat, integros in medium proferam. Alter est X, 1, 3: τὰ δὲ ἐπιφανέστατα Φωκεῦσίν ἐστιν ἐν κοινῷ · πολέμου γὰρ τοῦ πρὸς Ἰλίῳ μετεσχήκασι, καὶ Θεσσαλῶν ἐναντία ἐπολέμησαν πρότερον ἔτι ἢ ἐλάσαι τὸν Μῆδον ἐπὶ Ἕλληνας, ὅτε δὴ καὶ ἐπεδείξαντο οἱ Φωκεῖς ἔργα ἐς μνήμην . κατὰ γὰρ τὴν Ὑάμπολιν κτλ. Sequitur narratio rerum

1) Brackett pp. 215, 228, 232.
2) Warren pp. 62, 73. 3) Brief p. 13.

a Phocensibus bene gestarum. Enuntiatum ab ὅτε δή particulis pendens, quod ad sequentem narrationem transducit, tam laxe cum verbis antecedentibus cohaeret, ut nisi absolutum cogitari non possit („bei welcher Gelegenheit auch = bei dieser Gelegenheit“).

Alter locus est IV, 3, 5: Τέμενος δὲ ἐς ὑδρίαν ἐνόντος ἐν αὐτῇ καὶ ὕδατος καθίησι τῶν Ἀριστοδήμου παίδων καὶ Κρεσφόντου τοὺς πάλους ἐπὶ (τοῖσ)δε εἰρημένοις, μοῖραν αἱρεῖσθαι τῆς χώρας προτέρους ὁποτέρων ἂν πάλος ἀνέλθῃ πρότερον . τοὺς μὲν δὴ πάλους (πλίνθου) ὁ Τέμενος ἐπεποίητο ἀμφοτέρους, ἀλλὰ τοῖς μὲν Ἀριστοδήμου παισὶ ξηρᾶς ὑπὸ ἡλίου, Κρεσφόντῃ δὲ ὀπτῆς πυρί · ὅτε δὴ τῶν Ἀριστοδήμου παίδων πάλος κατετέτηκτο, καὶ ὁ Κρεσφόντης οὕτω λαχὼν γῆν αἱρεῖται τὴν Μεσσηνίαν. Quam lectionem, quae exstat in plerisque codicibus, receperunt editores ante Bekkerum. Is quem ceteri editores secuti sunt, e codice Vb lectionem ὅ τε δή recepit. Neque vero est, quod mutemus lectionem ὅτε δή; nam vidimus per has particulas enuntiatum absolutum introduci posse, neque insolitum est possessivum genetivum substantivo, quod articulo caret, anteponere. Velim conferas huius capitis paragraphum 3: Δωριέων στόλος.

Ceteris 70 locis particula ὅτε enuntiatum subordinatum introducit. Longe plurimis locis (46ies) succedit illud apodosi, 12ies antecedit, 12ies in eam immissum est. Dignus est propter collocationem enuntiati subordinati qui proferatur locus X, 15, 5: οὗτος ἐν τῷ λόγῳ φησὶ τῷ Ἀττικῷ, ὅτε Ἀθηναῖοι παρεσκευάζοντο ἐπὶ Σικελίᾳ τὸν στόλον, ὡς ἔθνος τι ἄπειρον κοράκων κατῆρε τότε ἐς Δελφούς. Ubi enuntiatum subordinatum ad enuntiationem pertinet quae per ὡς („daß“) particulam introducta a verbo φησί pendet. Talibus in structuris enuntiatum temporale aut succedere aut post ὡς particulam poni solet, ut VII, 19, 7: λέγονται δὲ καὶ ἄλλοι λόγοι δύο ἐς αὐτήν, ὡς, ὅτε ἔφυγεν Αἰνείας, ἀπολίποι ταύτην τὴν λάρνακα.

Nonnusquam in apodosi particulae temporales exstant:
τότε: II, 35, 4; IV, 17, 5; VII, 25, 8; X, 15, 5[1]),
τέλος: IX, 36, 2,

1) Quibus exemplis addendum non est VII, 25, 2: *ταῦτα Ἕλλησιν ἦλθεν ἐς μνήμην, ὅτε ἀφίκοντο ἐπὶ Ἀθήνας Πελοποννήσιοι, τότε Κόδρου τοῖς*

αὐτίκα: X, 22, 13,
πρότερον: VII, 8, 13,
ὕστερον: V, 14, 7,
οὔ-πω: IV, 19, 6,
χρόνῳ δὲ ὕστερον: IX, 13, 2.

Videamus nunc, qui modi et quae tempora hac in structura adhibita sint. Apud Herodotum et Thucydidem plurimis locis indicativus coniunctionem sequitur. At ut ille bis optativum, ita hic semel infinitivum in enuntiato subordinato adhibuit. Actio ad praeteritum tempus referri solet, perpaucis locis praesenti (vel futuro) continetur. Actiones enuntiatorum plerumque eodem tempore fiunt, nonnusquam actio subordinati antecedit, ut Herod. IV, 78. — In Pausaniae libris solus indicativus ab ὅτε coniunctione pendet. Omnibus locis actio ad praeteritum tempus refertur uno loco excepto X, 32, 18: ἐοικότα δὲ ἀνδρὸς ἤκουσα Φοίνικος, ἄγειν τῇ Ἴσιδι Αἰγυπτίους τὴν ἑορτήν, ὅτε αὐτὴν τὸν Ὄσιριν πενθεῖν λέγουσι. Pausanias consuetudinem Aegyptiorum descripsit, quae etiam temporibus ipsius habebatur. Itaque actio praesenti tempore iterata est. In enuntiato subordinato inprimis aoristi indicativus adhibitus est (45ies): I, 27, 6; 28, 10; 29, 6; 36, 4; 38, 5; 41, 7; 44, 4; II, 7, 6; 13, 8; 14, 2; 26, 4; 29, 5; 35, 4; III, 7, 3; 17, 4; 20, 10; IV, 2, 7; 4, 5; 19, 3; 19, 6; V, 9, 1; 14, 7; 26, 1; VI, 5, 3; 7, 9; 10, 4; 20, 19; VII, 8, 3; 17, 2; 19, 7; 25, 2; 25, 8; VIII, 48, 1; IX, 3, 6; 6, 1; 13, 2; 36, 2; X, 9, 6; 13, 6; 13, 7; 15, 1; 17, 9; 22, 13; 25, 7; 38, 4. In plerisque horum exemplorum actiones eodem tempore accidunt; ut uno exemplo utar I, 27, 6: ἐπέλαβε καὶ ταῦτα ἡ φλόξ, ὅτε ... βασιλεὺς εἷλεν ἔρημον τῶν ἐν ἡλικίᾳ τὴν πόλιν. Nonnusquam autem subordinati enuntiati actio prius fit quam alterius, ut I, 28, 10: Ἐπὶ Δελφινίῳ δὲ κρίσις καθέστηκεν ἐργάσασθαι φόνον σὺν τῷ δικαίῳ φαμένοις, ὁποῖόν τι καὶ Θησεὺς παρεχόμενος ἀπέφυγεν, ὅτε Πάλλαντα ἐπαναστάντα καὶ τοὺς παῖδας ἔκτεινε. Actionem interficiendi antecedere illi ἀπέφυγεν clarius est, quam ut de hac re verba fiant. Similes sunt loci II, 13, 8; 14, 2; III, 17, 4; V, 14, 7. — Neque raro imperfectum exstat,

Ἀθηναίοις τοῦ Μελάνθου βασιλεύοντος. Nam *τότε* particula ad genetivum absolutum pertinet.

ut I, 1, 1: ... τριήρεσιν ..., ἃς Πτολεμαῖος ... τιμωρεῖν ἔστειλεν Ἀθηναίοις, ὅτε σφίσιν Ἀντίγονος ... ἔφθειρε τὴν χώραν καὶ ναυσὶν ἅμα ἐκ θαλάσσης κατεῖργεν. Reliqui loci quibus imperfectum invenitur sunt I, 4, 6; 42, 1; 43, 1; 43, 2; II, 4, 6; 6, 6; 17, 4; 24, 3; 33, 2; III, 21, 2; 26, 7; IV, 2, 6; VII, 16, 5; 21, 1; VIII, 18, 8; 21, 2; X, 14, 2; 15, 5; 26, 3; 32, 4.

A coniunctione etiam complures actiones pendere possunt quae diversis temporibus continentur, ut indicativi aoristi et imperfecti II, 22, 6, indicativus aoristi et duo plusquamperfecti indicativi IV, 17, 5. — Dubius est locus II, 17, 7, quem codices ita tradunt: κατεκαύθη δὲ (sc. ὁ ναὸς) τὴν ἱέρειαν τῆς Ἥρας Χρυσηΐδα ὕπνου καταλαβόντος, ὅτε ὁ λύχνος πρὸ τῶν στεφανωμάτων ἥπτετο. Enuntiatum subordinatum, cuius sensus non plane patuit, plurimi editores mutaverunt.[1]) Sed qui sensus ei insit, apparet ex loco illo Thucydideo IV, 133, quem perspicuitatis causa integrum profero: καὶ ὁ νεὼς τῆς Ἥρας τοῦ αὐτοῦ θέρους ἐν Ἄργει κατεκαύθη Χρυσίδος τῆς ἱερείας λύχνον τινὰ θείσης ἡμμένον πρὸς τὰ στέμματα καὶ ἐπικαταδαρθούσης, ὥστε ἔλαθεν ἁφθέντα πάντα καὶ καταφλεχθέντα. Quin Periegetae animo hic locus obversatus sit, nemo dubitabit qui omnino Pausaniam Thucydidis studiosum fuisse concesserit. Ergo dicere voluit sacerdotem, cum lucernam ardentem ante vel prope coronas posuisset, somno captam esse; interea coronas flamma captas esse. At qua erat brachylogia, haec ita expressit: „sacerdotem somno captam esse, cum lucerna ardens prope coronas esset.“ Verbo ἅπτω inest significatio accendendi. Itaque coniecturam Cobetii[2]) ἧπτο, quam Hitzigius recepit, optimam esse censeo, quod sensu postulatur.

In apodosi quoque aoristus principatum obtinet. Cuius indicativus invenitur 26ies: I, 1, 1; 27, 6; 28, 10; 41, 7; 43, 2; II, 6, 6; 7, 6; 24, 3; 29, 5; IV, 2, 6; 2, 7; 17, 5; V, 9, 1; 14, 7; VI, 5, 3; VII, 17, 2; 21, 1; 25, 2; 25, 8; VIII, 18, 8;

[1]) Siebelisius praeeunte Sylburgio coniecit *ὁ λύχνος ὁ πρὸ τ. στ. ἥπτετο* sc. *αὐτῶν*, quam coniecturam receperunt Schubartus Walziusque, Dindorfius. — *πρὸ* eicere voluit Valckenarius; *πρῶτον στεφανωμάτων ἥπτετο* recepit Schubartus e coniectura Spengelii, qui *πρῶτον τῶν στ.* maluit.

[2]) Mnemosyne 1857, p. 194. Recte vero fecit Hitzigius, quod Cobetii coniecturam *ὁ πρὸ τ. στ.* non recepit.

IX, 3, 6; 6, 1; X, 15, 5; 17, 9; 22, 13; 26, 3. Indicativi locum tenet in oratione obliqua 14ies aoristi infinitivus (I, 38, 5; 42, 1; 43, 1; II, 13, 8; 14, 2; 17, 4; 35, 4; III, 21, 2; 26, 7; VI, 20, 19; VIII, 48, 1; X, 14, 2; 32, 4; 38, 4), bis optativus ab ὡς particula pendens (VII, 19, 7; X, 25, 7). Ad participium aoristi pertinet enuntiatum subordinatum novem locis. Quod participium in structura genetivi absoluti exstat II, 4, 6; 17, 7; ceteris locis I, 29, 6; 36, 4; 44, 4; IV, 19, 3; VII, 8, 3; 16, 5; X, 9, 6 substantivo alicui adiunctum est, ut εI, 29, 6: καὶ Θεσσαλῶν τάφος ἐστὶν ἱππέων κατὰ παλαιὰν φιλίαν λθόντων, ὅτε σὺν Ἀρχιδάμῳ Πελοποννήσιοι πρῶτον ἐσέβαλον ἐς τὴν Ἀττικὴν στρατιᾷ. Quibus locis addo IX, 13, 2, ubi ad participium ἥκοντα enuntiatio secundaria refertur. Pro aoristi indicativo adhibitus est indicativus praesentis historici III, 7, 3; IX, 36, 2. Quater imperfectum invenitur (II, 26, 4; III, 20, 10; IV, 4, 5; 19, 6). In oratione obliqua tenet eius locum infinitivus praesentis, ut II, 33, 2: Καλαύρειαν δὲ Ἀπόλλωνος ἱερὰν τὸ ἀρχαῖον εἶναι λέγουσιν, ὅτεπερ ἦσαν καὶ οἱ Δελφοὶ Ποσειδῶνος, et VI, 7, 9.[1]) Uno loco V, 26, 1 indicativus perfecti adhibitus est: πεποίηται δὲ ἀπὸ ἀνδρῶν πολεμίων (sc. ἡ Νίκη ἡ τοῦ Παιωνίου), ὅτε Ἀκαρνᾶσι καὶ Οἰνιάδαις, ἐμοὶ δοκεῖν, ἐπολέμησαν. Ubi perfecto Periegeta usus est, quod statua illa etiam sua aetate exstabat. Magis ad substantivum τόλμημα quam ad verbum refertur enuntiatum subordinatum I, 4, 6: τρία δὲ γνωριμώτατα ἐξείργασταί σφισι, τῆς τε Ἀσίας (ἡ) ἀρχὴ τῆς κάτω καὶ . . . καὶ τὸ ἐς τοὺς σὺν Ἀγαμέμνονι Τηλέφου τόλμημα, ὅτε Ἕλληνες ἁμαρτόντες Ἰλίου τὸ πεδίον ἐλεηλάτουν τὸ Μύσιον. — Similis est locus VI, 10, 4: Δαμαρέτῳ δὲ . . . καὶ υἱωνῷ δύο ἐν Ὀλυμπίᾳ γεγόνασιν ἑκάστῳ νῖκαι, Δαμαρέτῳ μὲν πέμπτῃ ἐπὶ ταῖς ἑξήκοντα ὀλυμπιάδι, ὅτε ἐνομίσθη πρῶτον ὁ τοῦ ὅπλου δρόμος, ubi enuntiatio per ὅτε particulam introducta quasi appositio numero olympiadis addita est. Neque aliter se habet locus VIII, 21, 2: ἐγὼ δὲ ἀγρευθέντας (sc. ἰχθῦς) μὲν εἶδον, φθεγγομένων δὲ ἤκουσα οὐδὲν καταμείνας πρὸς τῷ ποταμῷ καὶ ἐς ἡλίου δυσμάς, ὅτε δὴ φθέγγεσθαι μάλιστα ἐλέγοντο οἱ ἰχθῦς. Enuntiatum secundarium actionem praeterito tempore iteratam continet, quae non ad participium καταμείνας, sed ad verba

[1]) De infinitivo praesentis, qui exstat X, 32, 18, cf. supra p. 56.

ἐς ἡλίου δυσμάς refertur. Etiam clarior res est III, 17, 4: ἡ δὲ πρὸς δυσμὰς ἔχει τῶν στοῶν ἀετοὺς . . . Λυσάνδρου μὲν ἀνάθημα, τῶν δὲ ἔργων ὑπόμνημα ἀμφοτέρων, τοῦ τε περὶ Ἔφεσον, ὅτε Ἀντίοχον . . . ἐνίκησε.

Quattuor locis pertinet enuntiatum subordinatum ad verba ἀνάθημα (ἐστιν), ut II, 22, 6: Πλησίον δὲ τῶν Ἀνάκτων Εἰληθυίας ἐστὶν ἱερὸν ἀνάθημα Ἑλένης, ὅτε . . . Ἄφιδνά τε ὑπὸ Διοσκούρων ἑάλω καὶ ἤγετο ἐς Λακεδαίμονα Ἑλένη, itemque X, 13, 6; 13, 7; 15, 1. Quibus locis ἀνάθημα proxime accedit ad participium ἀνατεθέν. Cf. infra p. 64.

G. ὁπότε.

Coniunctio ὁπότε apud Herodotum uno loco exstat (ὁκότε), ubi optativus praesentis eam sequitur.[1]) Optativus aut praesentis aut aoristi ab ea pendet illis 33 locis quibus Thucydides eam adhibuit.[2]). In Pausaniae libris, ut ὁπότε particula semel sola (IV, 21, 6), semel cum γε vocula coniuncta (IX, 36, 5) causae notioni inservit, ita temporali significatione est 27 locis.

Enuntiatum a particula pendens 11ies absoluto antecedit, totidem locis in id immissum est, 8ies illi succedit. In apodosi raro particulae temporales adhibitae sunt:

αὐτίκα: II, 5, 8,
τηνικαῦτα: IV, 20, 6^b,
ἐνταῦθα: V, 5, 7.

A coniunctione pendet optativus excepto uno loco II, 11, 5: δοκεῖν δέ μοι δεινὸς ἐγένετο ὁ Τιτὰν τὰς ὥρας τοῦ ἔτους φυλάξαι καὶ ὁπότε ἥλιος σπέρματα καὶ δένδρων αὔξει καὶ πεπαίνει καρπούς. Dicere voluit Periegeta Titanem dominum aestatis et autumni fuisse, sed ut inconcinnitatem sectatur, in altera parte — i. e. in autumno designando — non item accusativum adhibuit, qui in priore parte (ὥρας τοῦ ἔτους) exstat, sed enuntiato subordinato usus est. Itaque enuntiatum per ὁπότε particulam introductum non ad praeteritam illam actionem δεινὸς ἐγένετο φυλάξαι refertur, sed actionem continet, quae quotannis repetitur.

[1]) Brackett pp. 226, 232.

[2]) Warren pp. 49, 63, 73.

Duobus locis ex illis quibus optativus particulam sequitur actio item praesenti tempore iterata est. Alter est V, 5, 7: ὁπότε οὖν ἀμφοτέρωθεν ἡ ψάμμος ὑπό τε τῆς θαλάσσης καὶ τὰ ἐντὸς ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ διάβροχος γένοιτο, ἐνταῦθα καὶ ὑποζυγίοις καὶ ἀνδρὶ ἔτι μᾶλλον εὐζώνῳ καταδῦναι κίνδυνός ἐστιν ἐς αὐτήν. Ubi Pausanias naturam Anigri fluminis describit, ut aliis verbis utar, actionem quae semper repetitur, quamobrem in apodosi indicativus praesentis exstat. — Alter locus est IX, 12, 1: ἐπὶ δὲ ἑκατέρᾳ τῆς βοὸς πλευρᾷ σημεῖον ἐπεῖναι λευκὸν εἰκασμένον κύκλῳ τῆς σελήνης, ὁπότε εἴη πλήρης. Enuntiatum subordinatum, quod verbis κύκλῳ τῆς σελήνης additum est, actionem naturae semper, non solum praeterito tempore repetitam continet.

Ceteris locis optativo a particula pendente actio praeterito tempore iterata expressa est. Qua in structura optativus aoristi adhibitus est, si actio enuntiati subordinati prius evenit quam absoluti, praesentis, si eodem tempore ambae actiones fiunt. Ea condicione optativus aoristi exstat IV, 20, 6^{a}: ὁπότε οὖν οὗτος ἀποχωρήσειε, τηνικαῦτα ὁ βουκόλος ἐφοίτα παρὰ τὴν γυναῖκα. itemque II, 5, 8; III, 7, 10; IV, 8, 5; 11, 6; 20, 6^{b}; 25, 7; 25, 8; V, 8, 5; VIII, 4, 9; 14, $10^{a\ et\ b}$; IX, 2, 3; 21, 5; 26, 3; X, 12, 5; 24, 5, et optativus praesentis II, 32, 3: αὐτόθεν γάρ, ὁπότε γυμνάζοιτο ὁ Ἱππόλυτος, ἀπέβλεπεν ἐς αὐτὸν ἐρῶσα ἡ Φαίδρα; IV, 18, 6; V, 14, 6; VIII, 2, 6; IX, 32, 7. Uno loco IV, 21, 3 praesentis optativus in enuntiato subordinato adhibitus est, cuius actio antecedit actioni apodoseos: τοῖς τε ἐντυγχάνουσιν, ὁπότε αἰσθάνοιντο ὄντας Μεσσηνίους, παρεκελεύοντο ἄνδρας ἀγαθοὺς εἶναι. Neque vero offendit haec structura: non aliter se habet atque ὡς ᾔσθάνοντο, de qua supra p. 40 egimus.

In apodosi plurimis locis imperfectum invenimus (II, 5, 8; 32, 3; III, 7, 10; IV, 8, 5; 11, 6; 18, 6; 20, $6^{a\ et\ b}$; 21, 3; 25, 7; V, 8, 5; VIII, 4, 9; 14, $10^{a\ et\ b}$; IX, 21, 5; X, 12, 5). Cuius locum in oratione obliqua tenet aut optativus praesentis ab ὡς particula pendens (V, 14, 6) aut infinitivus praesentis (IX, 2, 3; 26, 3; 32, 7; X, 24, 5). Quam ob rem cum Spirone et Hitzigio coniecturam Schubarti Walziique recipio, qui loco VIII, 2, 6 aoristum in praesens mutaverunt: ὁπότε δὲ εἴη λύκος, εἰ μὲν κρεῶν ἀπόσχοιτο ἀνθρωπίνων, ὕστερον ἔτει δεκάτῳ φασὶν

αὐτὸν αὖθις ἄνθρωπον ἐκ λύκου γίνεσθαι [codd. γενέσθαι]. — Ad participium praesentis pertinet enuntiatio secundaria IV, 25, 8: οἱ δὲ ὁπότε ἀνακοπεῖεν, κατ' ἄλλο αὖθις πειρώμενοι διακόψαι τὴν Ἀκαρνάνων φάλαγγα τὸ αὐτὸ ἂν ἔπασχον. Non invenitur apud Herodotum aut Atticos ἄν particula imperfecto addita, quo actio iterata exprimitur. Sed invenimus eam particulam eisdem condicionibus apud Pausaniam IV, 21, 4, quin etiam aoristo additam II, 1, 4. — Perfecti participium quod a verbo sciendi pendet exstat in apodosi X, 29, 2: οἶδα δὲ καὶ ὑπὸ Ἰώνων, ὁπότε ἴδοιέν τινα πονοῦντα ἐπὶ οὐδενὶ ὄνησιν φέροντι, ὑπὸ τούτων εἰρημένον ὡς ὁ ἀνὴρ οὗτος συνάγει τοῦ Ὄκνου τὴν θώμιγγα.

Denique moneo Pausaniam neque ὅταν neque ὁπόταν particulas adhibuisse.

H. ἡνίκα.

Ἡνίκα coniunctio, ut omnino deest apud Herodotum, a Thucydide uno loco [VII, 73, 3] adhibita est[1]), quo cum imperfecto coniuncta est, ita ne recentioribus quidem temporibus videtur valde invaluisse: Polybius quidem ea usus non est.[2]) In Pausaniae vero libris 70 locis exstat. Aeque atque in ὅτε enuntiatum subordinatum plurimis locis apodosi succedit (33ies); in eam immissum est 24ies, rarius ei antecedit (13ies).

In apodosi inveniuntur particulae temporales hae:

τότε: VII, 26, 13; VIII, 14, 9; 24, 8; 26, 4; IX, 8, 6; 11, 4; X, 8, 8,

ὕστερον: IV, 17, 3; IX, 23, 5,

εὐθύς: VII, 10, 2,

τηνικαῦτα: X, 32, 7,

τοσοῦτον χρόνον: IX, 3, 5.

Omnibus locis actiones ad praeteritum tempus referuntur. In enuntiato secundario hac quoque in structura indicativus aoristi praevalet: invenitur 36 locis: I, 23, 5; 27, 2; 29, 6; 29, 13; 34, 5; 43, 1; II, 18, 2; 25, 4; 29, 9; 31, 1; 32, 7; III, 24, 6; 25, 1; IV, 27, 9; V, 10, 2; 24, 3; VI, 21, 11; VII, 2, 7; 20, 6; VIII, 8, 2; 14, 9; 24, 8; 26, 4; 30, 7; 39, 3; IX,

[1]) Warren p. 71.

[2]) Brief p. 26.

8, 6; 18, 1; 25, 1; 40, 4; X, 13, 6; 15, 1; 15, 2; 28, $6^{\text{a et b}}$; 29, 5; 34, 2.

Cuius aoristi actio plerumque eodem tempore fit quo actio apodoseos, velut I, 27, 2: λέγουσι δὲ καὶ τάδε, κατακαυθῆναι μὲν τὴν ἐλαίαν, ἡνίκα ὁ Μῆδος τὴν πόλιν ἐνέπρησεν Ἀθηναίοις. Nonnusquam apodoseos actioni antecedit, ut II, 25, 4: καὶ ἡνίκα (sc. Λυγκεὺς) ἐσώθη, πυρσὸν ἀνέσχεν ἐντεῦθεν. Nam promiserat ille se id signum daturum esse, ubi primum effugisset. Similes sunt loci I, 29, 13; II, 31, 1; V, 10, 2; IX, 8, 6; X, 13, 6; 15, 1; 15, 2. — Illis 31 locis quibus imperfectum coniunctionem sequitur actiones eodem tempore fiunt, velut I, 7, 2: ἡνίκα παρεσκευάζετο ἐπιόντα ἀμύνεσθαι Μάγαν, ξένους ἐπηγάγετο. Reliqui loci sunt hi: I, 17, 3; 44, 7; II, 32, 3; III, 15, 6; 16, 2; 16, 7; 26, 8; IV, 17, 3; V, 14, 2; 17, 5; VI, 10, 2; 13, 5; VII, 10, 2; 26, 13; VIII, 1, 6; 25, 5; 34, 3; 36, 2; 53, 1; IX, 3, 5; 7, 5; 11, 4; 13, 1; 17, 3; 23, 5; 27, 7; X, 8, 8: 25, 8; 28, 4; 32, 17.

Nonnullis locis coniunctioni ἡνίκα, si imperfectum sequitur, significatio „solange als“ inest, ut III, 16, 2: καὶ (sc. οἱ Διόσκουροι) οἴκημα ᾐτοῦντο, ᾧ μάλιστα ἔχαιρον, ἡνίκα μετὰ ἀνθρώπων ἦσαν = „templum quo delectabantur, dum inter homines erant“. — vel IX, 27, 7: πρὸς δὲ καὶ ἡνίκα ἔτι ἦν μετ' ἀνθρώπων . . ., οὐκ ἂν αὐτός γε κατεστήσατο αὑτῷ ναόν τε καὶ ἱέρειαν. Etiam clarior res est IX, 3, 5: ἐκλιπεῖν γὰρ τοσοῦτον χρόνον τὴν ἑορτήν φασιν, ἡνίκα οἱ Πλαταιεῖς ἔφευγον. Ubi vel e vocabulis τοσοῦτον χρόνον apparet in coniunctione inesse significationem „solange als“. Qua in re Periegeta nihil novi atque inauditi fecit; nam et ὅτε et ἡνίκα particulae hac significatione iam apud oratores Atticos in usu sunt, ut apud Andocidem, Isaeum (ὅτε), Lysiam (ὅτε), Demosthenem.[1])

Duobus locis in enuntiato subordinato indicativus praesentis exstat. Quorum alter est IV, 32, 2: Σαιθίδαν δὲ τὸν πρότερον ἡγήσασθαι τοῖς Μεσσηνίοις φασίν, ἡνίκα ἐν τῇ νυκτὶ Δημήτριος . . . αὐτός τε καὶ ἡ στρατιὰ λανθάνουσιν ἐσελθόντες ἐς τὴν πόλιν. Quod praesens esse historicum ex ipso participio

[1]) Cf. A. Fuchs, Die Temporalsätze mit den Konjunktionen „bis“ und „solange als“, Schanz's Beitr. z. hist. Synt. d. gr. Sprache, XIV, Würzburg 1902, pp. 92, 95, 100.

aoristi ἐσελθόντες intellegi potest. — Alter locus est IX, 6, 1: προσέπταισαν δὲ καὶ δεύτερον Ἀθηναίοις ἀντιταξάμενοι περὶ Πλάταιαν, ἡνίκα δοκοῦσιν ἑλέσθαι τὰ βασιλέως Ξέρξου πρὸ τῶν Ἑλληνικῶν. Ubi in infinitivo ἑλέσθαι maior vis inest quam in verbo finito δοκοῦσιν. — Uno loco IV, 5, 4 indicativus perfecti adhibitus est: ἀποφαίνουσι δὲ καὶ ἡνίκα οἱ Φωκέων δυνάσται τὸ ἱερὸν τὸ ἐν Δελφοῖς κατειλήφασιν, ἰδίᾳ τε κατὰ ἄνδρα τοὺς βασιλεύοντας ἐν Σπάρτῃ . . . μετασχόντας τῶν τοῦ θεοῦ. Ubi in enuntiato subordinato actio praeterito tempore semel facta exstat, qua de causa indicativus aoristi exspectandus est. Quae ratio perfecti et aoristi promiscue adhibendi in sermone vulgari κοινῆς dialecti non raro invenitur.[1])

In apodosi quoque aoristus principatum obtinet. Cuius indicativus exstat 21 locis: I, 7, 2; 43, 1; 44, 7; II, 25, 4; III, 16, 7; 25, 1; IV, 27, 9; V, 10, 2; 17, 5; VII, 2, 7; 20, 6; VIII, 14, 9; 24, 8; 26, 4; 30, 7; IX, 6, 1; 18, 1; 25, 1; 27, 7; X, 28, 4; 28, $6^{\text{a et b}}$. Omnibus his locis aoristo actio praeterito tempore semel facta expressa est excepto uno loco IX, 27, 7 quo aoristi indicativo ἂν particula addita est, qua irrealis modus designaretur. — Infinitivus aoristi in oratione obliqua invenitur I, 23, 5; 27, 2; II, 31, 1; III, 15, 6; 26, 8; IV, 32, 8; VI, 13, 5; VII, 26, 13; VIII, 1, 6; 8, 2; 34, 3; 36, 2; IX, 3, 5; 17, 3; X, 8, 8; 25, 8; 32, 17; 34, 2. Ad infinitivum pertinet enuntiatum subordinatum his quoque locis: V, 14, 2: καί μοι καὶ αὐτὸς ὁ Ἡρακλῆς ἐφαίνετο, ἡνίκα τῷ Διὶ ἔθυεν ἐν Ὀλυμπίᾳ τῶν ἱερείων τὰ μηρία ἐπὶ λεύκης καῦσαι ξύλων, et IX, 13, 1: λέγεται δὲ ὁ Ἐπαμεινώνδας, ἡνίκα ἐπολέμουν Λακεδαιμόνιοι Μαντινεῦσι, πεμφθῆναι κτλ. — Enuntiatum subordinatum etiam a participio aoristi pendet. Quod in structura genetivi absoluti exstat II, 32, 7; VIII, 53, 1; X, 13, 6, cum substantivo coniunctum est I, 17, 3; 29, 6, a verbo ἀποφαίνουσι pendet IV, 5, 4, subiectum adhibitum est I, 29, 13 (εἰσὶ δὲ ἐπ' ἄλλῃ στήλῃ καὶ οἱ μαχεσάμενοι περὶ Θρᾴκην, καὶ ἐν Μεγάροις, καὶ ἡνίκα Ἀρκάδας . . . ἔπεισεν Ἀλκιβιάδης Λακεδαιμονίων ἀποστῆναι). Quibus addendi sunt loci I, 34, 5: δηλοῖ δέ, ἡνίκα ἐνομίσθη θεός, δι' ὀνειράτων μαντικὴν καταστησάμενος, et IV, 17, 3:

[1]) Cf. F. Blass, Gramm. d. Neutest. Griech. Göttingen 1902^2, p. 204. R. Kühner, l. l. t. II, 1, p. 150, not. 3.

φαίνονται δὲ οἱ Λακεδαιμόνιοι καὶ ὕστερον, ἡνίκα ἐπὶ Αἰγὸς ποταμοῖς ταῖς Ἀθηναίων ναυσὶν ἀνθώρμουν, ἄλλους τε τῶν στρατηγούντων Ἀθηναίοις καὶ Ἀδείμαντον ἐξωνησάμενοι. Quibus locis quamquam verba δηλοῖ et φαίνονται praesenti tempore continentur, tamen tempus praeteritum actionis aoristi participiis determinatur. Ad aoristum accedit indicativus praesentis historici II, 29, 9; IX, 8, 6; 11, 4; et imperfectum ᾤχοντο VII, 10, 2. Actio durans imperfecto expressa est II, 32, 3; III, 16, 2; 24, 6; VI, 10, 2; IX, 7, 5; 23, 5; 40, 4. Cuius locum tenet infinitivus praesentis in oratione obliqua VI, 21, 11: καὶ τὸν Πέλοπα, ἡνίκα τῶν Πισαίων ἔσχε τὴν ἀρχήν, φασὶν ἐναγίζειν αὐτοῖς ἀνὰ πᾶν ἔτος, itemque VIII, 25, 5; X, 29, 5. Loco VIII, 39, 3 indicativi praesentis historici et imperfecti una apodosi continentur. Iam in ὅτε coniunctione tractanda (p. 59) vidimus enuntiatum subordinatum nonnusquam ad vocem ἀνάθημα pertinere, quae vim participii ἀνατεθέν habet. Eundem usum invenimus etiam in ἡνίκα particulae structura, ut V, 24, 3: τοῦ ναοῦ δέ ἐστιν ἐν δεξιᾷ οὐ μεγάλου Ζεὺς . . . ἀνάθημα δὲ λέγουσιν εἶναι Λακεδαμονίων, ἡνίκα ἀποστᾶσι Μεσσηνίοις δεύτερα τότε ἐς πόλεμον κατέστησαν. — Dignus est qui in medium proferatur locus II, 18, 2: εἰ δὲ ἐπὶ τοσοῦτο αὐτοῖς τὸ μίασμα τὸ Πέλοπος καὶ ὁ Μυρτίλου προστρόπαιος ἠκολούθησε, τούτοις ἦν ἄρα ὁμολογοῦντα, ἡνίκα ἡ Πυθία Γλαύκῳ . . . , βουλεύσαντι ἐπίορκα ὀμόσαι, καὶ τοῦδε εἶπεν ἐς τοὺς ἀπογόνους κατιέναι τὴν δίκην. Quo loco, si rem ad amussim exigimus, relatio non recta est. Exspectanda est structura aut: τούτοις ἦν ἄρα ὁμολογοῦντα, ἃ ἡ Πυθία Γλαύκῳ εἶπεν, ἡνίκα . . ἐβούλευσεν[1]) aut τούτοις ἦν ἄρα ὁμολογοῦντα ῥηθεῖσιν ὑπὸ τῆς Πυθίας, ἡνίκα Γλαῦκος . . . ἐβούλευσεν.

I. ἀφ' οὗ.

Ἀφ' οὗ formula temporalis semel apud Herodotum (ἀπ' οὗ)[2]), saepius apud Thucydidem[3]), Xenophontem[4]), Polybium[5]) in-

1) Cf. Hitzig ed. I, 2, p. 570.
2) Brackett p. 226. Nonnusquam ἀπ' ἧς formulam adhibuit.
3) Warren p. 71.
4) Xenophon et ἀφ' οὗ et ἀφ' ἧς particulis usus est.
5) Brief p. 27.

venitur. Neque a sermone vulgari aliena fuisse, sed in eo per saecula conservata videtur esse, quoniam etiam nostra aetate in sermone Graeco vulgari exstat.

Pausanias eam ter adhibuit. Uno loco ex his IV, 5, 3 formula cum γε particula coniuncta est. Enuntiatum subordinatum semel succedit absoluto (IV, 5, 3), bis in illud immissum est (IV, 11, 5; V, 1, 2). — In apodosi exstat ἐνταῦθα particula IV, 11, 5. — In formula duae significationes insunt: „seit der Zeit, da; seit“ et „als, nachdem“. Illam significationem formula loco V, 1, 2 habet: καί σφισιν, ἀφ' οὗ τὴν γῆν παρὰ βασιλέως ἔχουσιν, εἴκοσιν ἔτη καὶ διακόσια τριῶν δέοντα ἦν ἐς ἐμέ, hanc ceteris duobus locis: IV, 5, 3: Κροίσῳ τε αὐτοῖς δῶρα ἀποστείλαντι γενέσθαι φίλους βαρβάρῳ πρώτους, ἀφ' οὗ γε τούς τε ἄλλους τοὺς ἐν τῇ Ἀσίᾳ κατεδουλώσατο Ἕλληνας; IV, 11, 5: ἐνταῦθα καὶ ὁ στρατὸς τῶν Μεσσηνίων ὁ εὔζωνος, ἀφ' οὗ καὶ τούτοις ἤρθη τὰ σημεῖα, ἐχρῶντο ἐπὶ τοὺς Λακεδαιμονίους δρόμῳ.

K. ἐξ οὗ, ἐξ ὅτου.

Nonnusquam significatio „seit“ inest etiam formulis ἐξ οὗ et ἐξ ὅτου.[1]) Quas Periegeta adhibuit singulis locis. ἐξ οὗ exstat V, 8, 6: ἐξ οὗ γὰρ τὸ συνεχὲς ταῖς μνήμαις ἐπὶ ταῖς ὀλυμπιάσιν ἐστί, δρόμου μὲν ἆθλα ἐτέθη πρῶτον, καὶ Ἠλεῖος Κόροιβος ἐνίκα; ἐξ ὅτου VII, 24, 13: ἐξ ὅτου δὲ ἡ ἰδέα κατεάγη τοῦ ὄρους, ὕδωρ αὐτόθεν ἐρρύη.

Pars III.

De coniunctionibus quae significant „donec, dum“.

Restat ut inquiramus, quo modo Pausanias eas coniunctiones adhibuerit quibus inest significatio „bis, solange als, während“. Exstant in libris eius particulae ἐς ὅ, ἕως, ἔστε, μέχρι, ἄχρι; ad quas accedunt ea enuntiata quae per voces ὅσον (χρόνον), ἐν ὅσῳ, ἐφ' ὅσον introducuntur. Qualis harum particularum usus apud alios scriptores fuerit, accuratissime docuit Albertus Fuchs[2]).

1) Cf. Brackett p. 226.
2) Cf. supra p. 62, not. 1.

A. ἐς ὅ.

Pronomen relativum neutrius generis cum εἰς praepositione coniunctum iam in Homeri carminibus in coniunctionis vim abiit, quae significationem „bis" in se gerit. Omnibus locis quibus apud illum exstat, κε particula addita a coniunctione pendet coniunctivus (uno loco excepto Il. 15, 70, quo optativus exstat) actioque ad futurum tempus spectat.[1]) Neque aliter se habent illa duo exempla quae apud Hesiodum et in hymnis Homericis inveniuntur.[2]) Tum coniunctio ἐς ὅ occurrit in Herodoti libris.[3]) Ubi ratio illius particulae adhibendae multo amplificata est. Actio non modo ad futurum tempus spectat, sed etiam longe plurimis locis praeterito et bis praesenti tempore continetur. Post Herodotum illa coniunctio evanuit: neque adhibita est a scriptoribus Atticis[4]) neque ab eis auctoribus qui κοινῆς dialecti temporibus erant, nisi ab Apollonio Rhodio, quem Homeri imitatorem fuisse inter omnes constat. Quo magis mirandum nobis est, quod ἐς ὅ particula apud Pausaniam revixit, neque facere possumus quin Pfundtnero assentiamur, qui Pausaniam illam particulam ex Patris historiae libris usurpasse dixit[5]), praesertim cum etiam Appianus Herodoti studiosus ἐς ὅ bis adhibuerit.[6])

Videamus nunc, qua ratione Pausanias illa particula usus sit.[7]) Quae invenitur in libris eius 36ies. Enuntiatum a coniunctione pendens aeque atque apud Homerum et Herodotum post enuntiationem primariam positum est. Enuntiatum primarium negativum est locis II, 4, 4; 29, 7; V, 18, 8; VI, 6, 8;

[1]) Fuchs, l. l. p. 5—12. Illum locum quo optativus exstat interpolatum esse censet.

[2]) Ibidem pp. 40, 41. Loci sunt Hes. Opp. V, 630 et hymn. in Apoll. V, 501. A quibus differt locus qui invenitur in hymno in Minervam XXVII, 14. Ubi Fuchsius — iure mea quidem sententia — *εἰσόκε* particulam in *εἰσότε* coniunctionem permutavit.

[3]) Ibidem pp. 67—73.

[4]) Sed cf. Warren p. 51.

[5]) l. l. p. 38.

[6]) Cf. Zerdik l. l. p. 34.

[7]) Pfundtnerus putat *ἐς ὅ* particulam non modo temporis, sed etiam causae notioni inservire. Profert locum II, 29, 7: ... *οὔτε Πελοποννησίοις ὗεν ὁ θεός, ἐς ὃ ἐς Δελφοὺς ἀπέστειλαν* = „quam ob rem Delphos miserunt", sed etiam hoc loco temporis notionem habet.

VIII, 42, 5, omnibus ceteris affirmativum. Semel I, 27, 10 in apodosi formula ἐς τοσόνδε exstat. Ceteroquin usus qui apud Herodotum observatus est in Periegetae libris valde coartatus invenitur; nam omnibus locis actio ad praeteritum tempus refertur. Qua in structura iam Herodotus in enuntiato primario indicativum imperfecti, in secundario aoristi — perpaucis locis exceptis — adhibuit, id quod exigitur sensu; nam actio primarii enuntiati durat aut, si negatio exstat, prohibetur usque ad id temporis momentum quo actio enuntiati secundarii ingressa aut perfecta est. In enuntiato primario imperfectum 20ies invenitur, ut I, 11, 5: καὶ τότε ἥκων ἐξεμαίνετο εὐθὺς ἐς τοὺς Ἠπειρώτας, ἐς ὃ νύκτωρ αὐτόν τε καὶ τοὺς παῖδας ἐπαναστάντες ἔκτειναν. Reliqui loci sunt: I, 23, 1; 23, 2; 23, 10; II, 5, 8; 18, 4; 29, 7; 30, 7; 31, 8; 33, 4; IV, 1, 1; 9, 3; 16, 4; 18, 4; V, 2, 1; 18, 8; VII, 2, 11; 3, 5; 19, 1; VIII, 42, 5. Imperfecti locum in oratione obliqua tenet septies infinitivus praesentis, ut I, 43, 7: ταύτην τοὺς παῖδας ἀπὸ τῶν μητέρων φασὶν ἁρπάζειν, ἐς ὃ Κόροιβος ἐς χάριν Ἀργείων φονεύει τὴν Ποινήν, itemque II, 21, 6; 32, 8; IV, 18, 5; VI, 6, 8; IX, 20, 5; X, 35, 3. Quibus locis addendus est I, 41, 5, ubi participium praesentis βουλόμενον a verbis Πίνδαρος ἐποίησε pendet.

In enuntiato coniunctionem sequente plurimis locis (25) indicativus aoristi exstat: I, 11, 5; 11, 6; 23, 1; 23, 2; 27, 10; II, 4, 4; 18, 4; 21, 6; 29, 7; 30, 7; 31, 8; 32, 8; 33, 4; IV, 1, 1; 16, 4; 18, 4; 18, 5; V, 2, 1; 18, 8; VI, 7, 4; VII, 1, 5; 2, 11; VIII, 23, 7; IX, 25, 2; X, 35, 8. Qui idem valet indicativus praesentis historici invenitur septies: I, 16, 2; 43, 7; II, 5, 8; IV, 9, 3; VII, 3, 5; VIII, 42, 5; IX, 20, 5.

Quamquam Pausanias ab hoc usu nonnusquam recessit. In apodosi exstat octies indicativus aoristi: I, 11, 6; 16, 2; 27, 10; II, 4, 4; VI, 7, 4; VII, 1, 5; VIII, 23, 7; IX, 25, 2. Quos locos singillatim spectemus; primum II, 4, 4: βασιλεὺς δὲ οὐδεὶς ἔτι ἐγένετο[1]), πρυτάνεις δὲ ἐκ Βακχιδῶν ἐνιαυτὸν ἄρχοντες, ἐς ὃ Κύψελος τυραννήσας ὁ Ἠετίωνος ἐξέβαλε τοὺς Βακχίδας. Aoristus ἐγένετο, qui in priore apodoseos parte

[1]) Cod. Pa solus praebet lectionem *ἐγίνετο*, quam recipere nolim; nam in priore parte indicativus aoristi suo iure exstat.

iure adhibitus est, a Pausania, qua erat brachylogia, ad alteram quoque partem relatus est. Ex verbo ἐγένετο ad subiectum πρυτάνεις verbum alterum velut ἐγίνοντο vel ἦσαν cogitatione repetendum est. — Brachylogia indicativus aoristi etiam VIII, 23, 7 excusari potest: καί σφισι ταῦτα ἐργασαμένοις ἐπέπεσεν ἐς τὰς γυναῖκας νόσος, τὰ ἐν τῇ γαστρὶ πρὸ τοκετοῦ τεθνεῶτα ἐκβάλλεσθαι, ἐς ὃ ἡ Πυθία θάψαι τε τὰ παιδία ἀνεῖπε καὶ ἐναγίζειν αὐτοῖς κατὰ ἔτος. Pausanias dicere voluit: „Morbus feminis incidit et eas tam diu vexabat, dum Pythia iussit etc.“ Itaque verbum, quo actio durans exprimitur, ex ἐπέπεσεν cogitatione depromendum est. — Similis est locus IX, 25, 2: δεύτερα ἐπενόησεν (sc. Ἀντιγόνη) ἕλκειν αὐτόν, ἐς ὃ εἵλκυσέ τε καὶ ἐπέβαλεν ἐπὶ τοῦ Ἐτεοκλέους ἐξημμένην τὴν πυράν. Aoristo ingressivo ἐπενόησεν initium solum actionis exprimitur, sed non solum consilium cepit, sed etiam tam diu studuit id perficere, dum ei contigit.

Aoristi ingressivi in apodosi inveniuntur his quoque locis:

I, 11, 6: καὶ ὡς Δημήτριον ἐκβαλὼν Μακεδονίας ἦρξεν, ἐς ὃ αὖθις ἐξέπεσεν ὑπὸ Λυσιμάχου, τάδε μὲν . . . δεδήλωκε κτλ.

I, 16, 2: ἐβασίλευσε Μακεδονίας, ἐς ὃ . . . ἀναιρεῖται ὑπὸ τῶν βαρβάρων.

VII, 1, 5: οἱ δὲ ἀπόγονοι τοῦ Ἴωνος τὸ Ἰώνων ἔσχον κράτος, ἐς ὃ ὑπ' Ἀχαιῶν ἐξέπεσον καὶ αὐτοὶ καὶ ὁ δῆμος.

Quibus locis scriptoris inprimis intererat dicere illos viros omnino regnum assecutos esse, et deinde demum, quam diu id regnum obtinuissent. Velut I, 11, 6 Pyrrhum regem Epirotarum aliquamdiu etiam in Macedonia regnavisse magis eius intererat dicere quam quam diu rex fuisset. Itaque actionem durantem cogitari oportet. — Quae cum ita sint, loco I, 16, 2 Siebelisium sequi nolo, qui lectionem codicum M et La ἐβασίλευε recepit; nam hoc quoque loco primum dicendum erat Ptolemaeum Seleuco, quem primo in Macedoniam secutus esset, de medio sublato ipsum rerum potitum esse.[1]). — Non ita excusari possunt loci:

[1]) Quod Spiro quoque (Führer durch Attika, von Pausanias, Deutsch von Friedr. Spiro, p. 38) expressit vertens: „Dieser Ptolemaeus ermordete den Seleukos . . . und bemächtigte sich des Thrones von Makedonien. Aber die Galater kamen etc.“

I, 27, 10: Μίνως δὲ . . . (sc. Ἀθήνας) . . . ἐς τοσοῦτον ἐκάκωσεν, ἐς ὃ συνεχωρήθη οἱ παρθένους ἐς Κρήτην ἑπτὰ καὶ παῖδας ἴσους ἄγειν.

VI, 7, 4: φανερώτατα δὴ ἁπάντων ἀνὴρ εἷς φρονήσας οὗτος τὰ Λακεδαιμονίων φαίνεται, ὥστε καὶ ἐναυμάχησεν ἐναντία Ἀθηναίων ναυσὶν οἰκείαις, ἐς ὃ τριήρων ἁλοὺς Ἀττικῶν ἀνήχθη ζῶν παρὰ Ἀθηναίους. Quibus duobus locis actio apodoseos, quamquam durat, aoristo continetur.

In enuntiato, quod per coniunctionem introducitur, ter indicativus imperfecti invenitur: I, 23, 10; IV, 6, 8; VII, 19, 1. Inspiciatur primum locus I, 23, 10: ἐνταῦθα εἶχε (sc. Φορμίων) δίαιταν, ἐς ὃ ναύαρχον αὐτὸν Ἀθηναίων αἱρουμένων ἐκπλεύσεσθαι οὐκ ἔφασκεν. Ubi actio illa εἶχε δίαιταν non verbis Phormionis finitur, sed ea re, quod Athenienses eum ducem creaverunt; quam ob rem imperfectum ἔφασκεν non offendit. — Facile explicatur imperfectum etiam VII, 19, 1: ἱερωσύνην δὲ εἶχε τῆς θεοῦ παρθένος, ἐς ὃ ἀποστέλλεσθαι παρὰ ἄνδρα ἔμελλε. Agitur de templo quodam Dianae. In eo semper virginem deae servisse, dum nuberet. Cum actio duret et praeterito tempore iterata sit, imperfectum suo iure stat.

Tertius locus est VI, 6, 8: τοῦ καταλευσθέντος δὲ ἀνθρώπου τὸν δαίμονα οὐδένα ἀνιέναι καιρὸν ἀποκτείνοντά τε ὁμοίως τοὺς ἐν τῇ Τεμέσῃ καὶ ἐπεξερχόμενον ἐπὶ πᾶσαν ἡλικίαν, ἐς ὃ ἡ Πυθία τὸ παράπαν ἐξ Ἰταλίας ὡρμημένους φεύγειν Τεμέσαν μὲν ἐκλιπεῖν οὐκ εἴα, τὸν δὲ ἥρω σφᾶς ἐκέλευσεν ἱλάσκεσθαι. Hoc quoque loco intellegi potest, quantopere non Pausanias strictas leges logicae secutus sit. Nam actio qua furor daemonis finitur est ἐκέλευσεν. Dicere igitur voluit: τὸν δαίμονα — ἡλικίαν, ἐς ὃ ἡ Πυθία τὸν ἥρω σφᾶς ἐκέλευσεν ἱλάσκεσθαι; sed cum huic sententiae addere vellet Temesios, qui iam emigraturi essent, illo Pythiae responso retentos esse, haec verba in enuntiatum ab ἐς ὃ coniunctione pendens immisit.

Uno loco I, 41, 5 a coniunctione pendet infinitivus aoristi: Πίνδαρος . . . ἐποίησε καὶ γαμβρὸν τοῖς Διοσκούροις Θησέα εἶναι βουλόμενον, ἐς ὃ ἀπελθεῖν αὐτὸν Πειρίθῳ τὸν λεγόμενον γάμον συμπράξοντα.[1]) Neque vero differt Periegeta hac re ab Herodoto,

[1]) Iure Hitzigius ad hunc locum I, 1, p. 366 Boeckhium Pind. frgm. 163 ἐς coniunctionem significare „dadurch daß“ putantem improbat. Neque

qui item quinquies infinitivum post ἐς ὃ formulam in oratione obliqua adhibuit.[1]) — Restat ut tractemus locum VII, 2, 11: οἱ κώνωπες ἄπειρον πλῆθος ἐγίνοντο ἐκ τῆς λίμνης, ἐς ὃ τοὺς ἀνθρώπους ἠνάγκασαν ἐκλιπεῖν τὴν πόλιν. Ubi simul sensus quidam consecutivus temporali significationi immixtus est, ut ἐς ὃ vertere possimus: „bis schließlich, sodaß zuletzt".

B. ἕως.

Ἕως coniunctio iam apud Homerum 52 locis exstat. Tum lyricis, scaenicis, Herodoto minus grata habita in sermone Attico invalescere coepit. In libris Thucydidis, oratorum, Platonis, Aristotelis multis locis, quin apud Xenophontem 100ies invenitur.[2]) Quae frequentia aeque observatur κοινῆς dialecti temporibus. Apud Polybium, quem omnino a coniunctionibus abhoruisse iam supra diximus[3]), 34 locis exstat.[4]) Quin in sermone vulgari etiam ad maiorem frequentiam pervenit.[5]) In Sacro Codice maximus est numerus exemplorum[6]) neque aliter res se habet in Novi Testamenti libris, in quibus 64 locis invenitur.[7]) Particula ἕως aut sola adhibita est aut cum οὗ voce coniuncta. Ἕως οὗ, quod Ionicum esse Krebsius censet[8]), ab eis scriptoribus qui hiatum evitabant ante consonantes exhibitum est, ἕως solum ante vocales. Usurpari solebat illa coniunctio significationibus aut „bis" aut „solange als". Quo accedit in Xenophontis libris significatio „während".[9])

enim Pindari verba nobis tradita sunt, quibus haec sententia probetur, neque illa significatio coniunctionis ἐς ὅ in Herodoti Pausaniaeque libris ullo loco invenitur.

[1]) Cf. Brackett p. 224.

[2]) De quibus egit Fuchsius l. l. passim excepto Aristotele, de quo cf. Eucken l. l. p. 66.

[3]) P. 6. [4]) Cf. Brief p. 27.

[5]) *Ἕως* etiam praepositio recentioribus temporibus valde invaluit. Cf. Krebs, Die Praepositionsadverbien in der späteren historischen Gräcität, II, München 1885, p. 13 sqq. — Periegeta *ἕως* praepositionem nunquam adhibuit.

[6]) Cf. Hatch and Redpath l. l. vol. I, p. 592/93.

[7]) Bruder l. l. p. 382. [8]) l. l. p. 14.

[9]) Apud Homerum *ἕως* significationes habet: „bis, solange als, damit, während", cf. Fuchs p. 28 sqq.

Inquiramus nunc, qualis huius particulae usus Periegetae fuerit. Eam non in deliciis habuit; nam in omnibus decem libris non nisi sexies illa usus est. Quibus locis quinquies ἕως nuda particula, semel ἕως οὗ (X, 33, 3)[1]) exstat. — Significatio bis coniunctioni tribus locis inest: I, 17, 4; X, 13, 2; 33, 3. Ex his unus praesenti tempore continetur X, 13, 2: οἱ δὲ (sc. οἱ βίσωνες) εὐθὺς ἐν ταῖς πρώταις τῶν βυρσων ὀλισθόντες κατὰ τοῦ πρανοῦς κυλίνδονται, ἕως κατενεχθῶσιν ἐς τὸ ὁμαλόν. Actio praesenti tempore iterata est; nam agitur de re quadem, quae in βισώνων venatione semper accidit. Quae cum ita sint, iure in apodosi indicativus praesentis et in enuntiato subordinato, utpote cuius actio apodoseos actioni antecedat, coniunctivus aoristi adhibitus est. Qua in structura a scriptoribus classicis constanter ἄν particula addita, a posteris, ut a Polybio et Dionysio Hal., nonnusquam omissa est.[2])

Ceteris duobus locis actio ad praeteritum tempus refertur. In ea structura aeque atque in ἐς ὃ coniunctione adhibita in apodosi indicativum imperfecti, in enuntiato secundario aoristi indicativum exspectamus, quod actio illius usque ad id momentum durat quo huius actio coepta aut perfecta est. Sed Pausanias, ut in ἐς ὃ particula nonnusquam in apodosi actionem incipientem, non durantem expressit, ita in hac quoque semel aoristi indicativum in apodosi adhibuit, X, 33, 3: καὶ ἐσήχθη φρουρά σφισιν ἐς τὴν πόλιν, ἕως οὗ ἀνὴρ ἐπιχώριος . . . τούς τε ἐν ἡλικίᾳ τῶν πολιτῶν συνέστησεν ἐπὶ τὴν φρουρὰν κτλ. Verbo ἐσήχθη id unum expressum est praesidium introductum esse, sed nobis simul cogitandum est illud praesidium aliquamdiu in urbe versatum esse, velut ἐσήχθη φρουρά σφισιν ἐς τὴν πόλιν καὶ τέως ἐνέμενεν, ἕως οὗ κτλ. — Alter locus est I, 17, 4: Ἐς δὲ τὴν τελευτὴν τὴν Θησέως πολλὰ ἤδη καὶ οὐχ ὁμολογοῦντα εἴρηται· δεδέσθαι τε γὰρ αὐτὸν λέγουσιν ἐς τόδε, ἕως ὑφ' Ἡρακλέους ἀναχθείη. Quod in apodosi infinitivum perfecti

[1]) Ubi codex La omisit vocem *οὗ*; neque vero habemus, quod a lectione omnium ceterorum codicum recedamus; nam *ἕως οὗ* formula recentioribus temporibus saepe adhibita est, ut a Polybio, Dionysio Hal., Iosepho, cf. Krebs p. 15. Neque hiatus ille *ἕως οὗ ἀνήρ* opinioni nostrae obstat, quod Pausaniam hiatum non evitasse vidimus, cf. p. 8.

[2]) Cf. Krebs l. l. p. 16, not. 1.

invenimus, non miramur; nam a verbo dicendi pendens locum tenet indicativi plusquamperfecti, qui aeque atque indicativus imperfecti actionem durantem exprimit. In vernacula lingua dicendum est: „Er war — oder blieb — solange gebunden, bis etc.“ Oratione obliqua id quoque effectum est, ut in enuntiato subordinato optativus aoristi pro indicativo adhiberetur. — Quibus tribus locis enuntiationem secundariam post apodosin positam videmus. Semel (I, 17, 4) in apodosi exstat formula ἐς τόδε.

Particulam ἕως significantem „solange als“ duobus locis invenimus:

IV, 18, 2: . . . ὥστε καὶ ἐποίησαντο οἱ Λακεδαιμόνιοι δόγμα . . . τὴν Μεσσηνίαν καὶ τῆς Λακωνικῆς τὴν προσεχῆ, ἕως[1]) ἂν πολεμῶσιν, ἐᾶν ἄσπορον.

IV, 23, 2: ὁ δὲ αὐτὸς μὲν ἕως ἂν περιῇ, πολεμήσειν Λακεδαιμονίοις ἔφασκεν.[2])

In utroque exemplo actio ad futurum tempus spectat; itaque coniunctivus praesentis cum ἄν particula exstat. In enuntiatis primariis infinitivi a verbo quodam dicendi pendentes exstant, semel infinitivus futuri (IV, 23, 2), semel infinitivus praesentis ἐᾶν, quem ad futurum tempus spectare ex verbis ipsis ἐποιήσαντο δόγμα apparet. Enuntiatio subordinata utroque loco in apodosin immissa est. — Ergo Pausanias his duobus locis a classicorum usu non recessit.

Uno loco coniunctio in significationem „während“, quam iam apud Xenophontem invenimus, abiit, IV, 4, 6: ἕως δὲ οὗτος παρέπειθεν, ἐν τούτῳ τῶν τις βουκόλων ἀποδιδράσκει τοὺς ἐμπόρους κτλ. Ubi recte in enuntiato subordinato actio durans imperfecto, in apodosi semel facta indicativo praesentis historici expressa est. Ad coniunctionem pertinent in apodosi voces ἐν τούτῳ.

[1]) Codd. M Pcd Ag Vn Va Lb R habent lectionem τέως, quos secuti sunt Bekkerus, Schubartus Walziusque. Sed cum τέως particula apud Pausaniam nusquam coniunctionis vim in se gerat, Hitzigius et Spiro iure lectionem ἕως, quae exstat in codicibus La Pa Vb et in correctura codicis R, receperunt.

[2]) Cod. Vb solus praebet περιῇν.

C. ἔστε.

Ἔστε coniunctio primum apud Hesiodum exstat, tum quamvis raro a lyricis, tragicis, (non ab Aristophane), Herodoto significans aut „bis“ aut „solange als“ adhibita est. Apud Thucydidem, oratores, Platonem, Aristotelem omnino non invenitur. Exstat in Xenophontis libris 21 ies significatione „bis“, quater significatione „solange als“.[1]) Tum rursus rarior fit: apud Polybium[2]) et in Novi Testamenti libris omnino non exstat. Apud posteriores nonnusquam invenitur, velut apud Aelianum aequalem Periegetae[3]).

Pausanias quoque hac coniunctione raro, sex locis (II, 22, 2; 33, 2; VI, 20, 13; VII, 13, 5; 26, 5; IX, 27, 6), usus est. Quibus omnibus locis a coniunctione cum particula ἄν coniuncta[4]), cuius significatio est „bis“, coniunctivus pendet. Actio praesenti tempore continetur II, 33, 2; VI, 20, 13; VII, 26, 5; IX, 27, 6. Ubi Periegeta mores qui eius aetate valebant enarrat; actiones igitur praesenti tempore iteratae sunt, velut II, 33, 2: ἱερᾶται δὲ αὐτῷ παρθένος, ἔστ' ἂν ἐς ὥραν προέλθῃ γάμου. Eademque fere verba exstant VII, 26, 5; IX, 27, 6. Quartus locus est VI, 20, 13: διὰ πάντων τε κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον συμβαίνει τῶν ἵππων, ἔστ' ἂν ἐξισωθῶσιν ἀλλήλοις κατὰ τῆς πρῴρας τὸ ἔμβολον. His quattuor locis coniunctivus aoristi particulam sequitur. — Apodosis enuntiato subordinato antecedit neque inveniuntur in illa particulae temporales, quae ad coniunctionem pertinent.

Ad futurum tempus spectant actiones duorum locorum:

II, 22, 2: καὶ Ἀργείων ἔφη τοὺς ἐπὶ Ἴλιον στρατεύσαντας ἐνταῦθα ὀμόσαι παραμενεῖν πολεμοῦντας, ἔστ' ἂν ἢ τὸ Ἴλιον ἕλωσιν ἢ μαχομένους τελευτὴ σφᾶς ἐπιλάβῃ.

VII, 13, 5: ὡμολόγησε μηδένα ἐπάξειν Λακεδαιμονίοις πόλεμον, ἀλλὰ ἔστ' ἂν ἥκωσιν ἐκ Ῥώμης, ἀναμενεῖν τοὺς διαλλακτάς.

[1]) Cf. Fuchs pp. 42 sqq., 117, 130 al. — De Aristotele cf. Eucken p. 67.

[2]) Brief p. 27.

[3]) Thouvenin p. 604 sq.

[4]) Omnibus his locis voculae ita traditae sunt: ἔστ' ἄν.

Utroque loco in apodosi invenitur infinitivus futuri, qui pendet a tempore praeterito verbi dicendi. Atque ut priore loco recte coniunctionem sequitur coniunctivus aoristi, ita altero non offendit coniunctivus ἥκωσιν, quippe qui idem valeat atque aoristi coniunctivus.[1])

Vidimus ergo Periegetam in ea particula adhibenda a ceterorum scriptorum usu non recessisse, nisi quod particulam significantem „solange als“ non adhibuit.

D. μέχρι.

Μέχρι particula videtur inprimis orationis solutae fuisse. Neque enim exstat apud poetas aut epicos aut lyricos aut tragicos nisi semel apud Philoxenum lyricum.[2]) Herodotus, Attici[3]), Polybius[4]) eam raro quidem adhibuerunt, in Novi Testamenti libris uno loco certe tradita est.[5]). — Coniunctio exstat aut sola aut cum genetivo οὗ coniuncta. Μέχρι οὗ aut ut scripserunt ei qui hiatum evitabant μέχρις οὗ e dialecto Ionica in sermonem Atticum fluxisse censuit Krebsius.[6]) Utraque coniunctio — et μέχρι et μέχρι(ς) οὗ — significationes in se gerit aut „bis“ aut „solange als“.

Apud Pausaniam uno loco invenitur[7]) X, 21, 3: οὔτε ὅσοι βέλεσι καὶ ἀκοντίοις διεπείροντο, ὑφήρουν τοῦ θυμοῦ, μέχρι οὗ παρέμενεν ἡ ψυχή. Videmus Pausaniam neque alibi neque hoc loco hiatum μέχρι οὗ evitasse. In coniunctione inest significatio „solange als“, qua de causa Periegeta iure et in apodosi et in enuntiato subordinato imperfecti indicativos adhibuit.

E. ἄχρις.

Aeque ac μέχρι coniunctio ἄχρι orationis solutae videtur fuisse. Apud Herodotum primum invenitur uno loco cum

[1]) Coniunctivus ἥκειν verbi in tali structura invenitur etiam apud alios, ut Xenophontem, cf. Fuchs p. 114, not. 1.

[2]) Cf. Fuchs p. 48. Apud Philoxenum μέχρι οὗ formula significationem „bis“ habet.

[3]) Fuchs l. l. passim. De Aristotele cf. Eucken p. 67.

[4]) Brief p. 27.

[5]) Eph. 4, 13. (Altero loco Marc. 13, 10 codices inter se differunt).

[6]) l. l. p. 8.

[7]) *Μέχρι* praepositio apud eum omnino non exstat.

genetivo οὗ coniuncta.[1]) Attici quoque rarissime eam adhibuerunt: semel apud Demosthenem[2]), semel apud Xenophontem[3]) exstat. Ceteri oratores, Thucydides, Plato, Aristoteles omnino ea abstinuerunt.[4]) Neque saepe apud posteriores eam invenimus.[5]) Particula aut sola aut cum genetivo οὗ coniuncta est. Significatio eius est „bis“.

Pausanias eam[6]) uno loco adhibuit X, 32, 1: στάδιον δέ σφισιν ἀνωτάτω τῆς πόλεώς τοῦτό ἐστιν· ἐπεποίητο δὲ ἐκ τῆς πέτρας, ὁποῖαι περὶ τὸν Παρνασσόν εἰσιν αἱ πολλαί, ἄχρις Ἀθηναῖος Ἡρώδης λίθῳ τῷ Πεντελῆσιν αὐτὸ μετεκόσμησεν.

Mirandum quidem est, quod hoc loco forma ἄχρις exstat, qua hiatus evitatur. In coniunctione inest significatio „bis“ et actio ad praeteritum tempus refertur. Qua de causa in enuntiato a coniunctione pendente iure indicativus aoristi adhibitus est; neque offendit in apodosi indicativus plusquamperfecti; nam durat status illius actione effectus. In vernaculam linguam transferendum est: „und das Stadion bestand aus Stein, bis etc.“

F. De formulis ὅσον (χρόνον), ἐν ὅσῳ, ἐφ' ὅσον.

Locum earum coniunctionum quas tractavimus apud Herodotum, Thucydidem, Demosthenem, Platonem, Xenophontem nonnusquam formulae e pronomine relativo et χρόνος voce (quae saepe modo cogitanda est) compositae tenent.[7]) Quam structuram Pausanias quoque nonnullis locis adhibuit. Sensus „solange als“ verbis ὅσον χρόνον expressus est duobus locis:

II, 2, 2: ἀλλ' ὅσον μὲν χρόνον ἠρήμωτο ἡ πόλις, Σικυωνίοις ἄγειν ἐπετέτραπτο τὰ Ἴσθμια. In utroque enuntiato actio prae-

[1]) Fuchs p. 78. Brackett p. 222.

[2]) Orat. Philipp. IV, 10, 51. De qua oratione cf. Blass ed. mai. vol. I^4, p. 32, Koerte Mus. Rhen. LX 388 f., Wendland Goett. Gel. Anz. 1906 n. 5 p. 362 sq.

[3]) Anab. II, 3, 2.

[4]) Fuchs pp. 100, 119, 130. De Aristotele cf. Eucken p. 67.

[5]) De his cf. Müller l. l. p. 60, Krebs l. l. II, p. 3 sqq.

[6]) *Ἄχρι* praepositio apud Pausaniam non raro exstat, velut IV, 20, 5; 29, 12; V, 8, 5; 13, 10; 16, 3; VI, 6, 4; 15, 9; 23, 5; VII, 15, 5; VIII, 5, 5; 24, 11; 41, 6; IX, 6, 3 al.

[7]) Cf. Fuchs pp. 79, 88, 100, 108, 120. Brackett p. 227. Warren p. 62.

terito tempore durans plusquamperfecto est expressa. „Solange die Stadt verödet lag, hatten die Sikyonier die Verpflichtung, die Isthmischen Spiele abzuhalten.“

Alter locus est I, 10, 2: ὅσον μὲν χρόνον ἀντεῖχε τὰ Δημητρίου, διέμεινεν ἡ Πύρρου καὶ Λυσιμάχου συμμαχία. Lectionem διέμεινεν praebent codices exceptis R Vn Pc La, in quibus imperfectum διέμενεν exstat. Aoristum omnes fere editores, etiam Hitzigius et Spiro receperunt. Sed aoristus obstat normae quam alibi Pausanias observavit. Neque igitur facere possum quin lectionem διέμενεν meliorem esse putem.

Duobus locis significatio „während“ inest formulae ἐν ὅσῳ: IV, 9, 5: ἐν ὅσῳ δὲ οὗτος ἀνεδίδασκε τὰ ἐς αὐτήν, ἐν τοσῷδε ὁ Λυκίσκος . . . ηὐτομόλησεν ἐς Σπάρτην.

IX, 15, 3: ἐν ὅσῳ δὲ ἀπῆν ὁ Ἐπαμεινώνδας, Ὀρχομενίους Θηβαῖοι ποιοῦσιν ἀναστάτους ἐκ τῆς χώρας. — In utroque exemplo actiones ad praeteritum tempus referuntur; qua de causa suo iure Periegeta in enuntiatis subordinatis imperfecti indicativos, in absolutis aut aoristi (IV, 9, 5) aut praesentis historici (IX, 15, 3) indicativum adhibuit. Enuntiata relativa ante absoluta sunt collocata. Priore loco in apodosi ἐν τοσῷδε redit ad ἐν ὅσῳ.

Quibus locis addi potest IV, 27, 9: Οὐκ ὀλίγος μὲν οὖν ὁ χρόνος καὶ Πλαταιεῦσιν ἐγένετο, ἐφ' ὅσον καὶ ἐκεῖνοι τὴν αὑτῶν ἔφευγον. Ubi pronomine relativo cum ἐπί praepositione coniuncto expressum est actionem per spatium quoddam extentam esse, qua de causa imperfectum sequitur. „Es war ein ziemlich langer Zeitraum, während dessen (vel accuratius: über den hin) die Plataeer außer Landes waren.“

Postremo non praetereundus est locus IV, 16, 9: Διαλιπὼν δὲ ὅσον ἀκεσθῆναι τὸ τραῦμα, ἐς μὲν αὐτὴν Σπάρτην ἔξοδον ποιούμενος νύκτωρ ἀπετρέπετο ὑπὸ φασμάτων Ἑλένης καὶ Διοσκούρων. Ubi ὅσον particulae inest significatio „solange bis“. Insolitus est infinitivus ab ὅσον particula pendens apud Herodotum et Atticos, qui eam aut cum indicativo aut ἄν particula addita cum coniunctivo coniunxerunt. Apud Thucydidem etiam optativus eam sequitur.

Vita.

Natus sum Friedericus Guilelmus Martinus Rogel in vico Silesiae prope Nimitium oppidum sito, qui Sadewitz vocatur, pridie Id. Sept. anni 1883 patre Guilelmo ludi magistro, matre Aemilia e gente Fischer, quos ambos adhuc in vivis esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis a patre et — benignitate *Werneri de Stegmann-Stein* — a *Paulo Heinzelmann* theol. cand. imbutus gymnasii Strehlensis, quod floret auspiciis *Rudolphi Petersdorff*, in tertiam classem receptus sum. Vere anni 1903 maturitatis testimonium adeptus Vratislaviam me contuli studiis theologicis et philologicis operam navaturus. Ex autumno eiusdem anni philologiae totum me dedi.

Docuerunt me viri doctissimi:

Arnold, Baumgartner, Cichorius, Drescher, Ebbinghaus, Foerster, Freudenthal †, Hillebrandt, O. Hoffmann, Jacoby, Juncker, Kaufmann, Liebich, Löhr, Meissner, Norden, Partsch, Semrau, Skutsch, Wendland, Zacher,

Proseminarii philologici sodalis fui per tria semestria moderantibus *Foerstero, Nordenio, Skutschio*. Ut sodalis essem ordinarius seminarii philologici, mihi per duo semestria concesserunt *Foerster, Skutschius, Wendlandius*. Praeterea ad exercitationes seminarii archaeologici me admisit *Foerster*, ad exercitationes seminarii historici *Cichorius*.

Quibus omnibus viris iustas ac debitas refero gratias, inprimis vero *Ricardo Foerster*, cui quantum debeam grato semper pioque animo confitebor.